

DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS,  
LIBER OCTAVUS.  
TERRA FIRMA.

INTRODUCTIO.



Ontinentem Americæ universâ suprà divisimus in duas veluti partes, quarum unam Septentrionalem, alteram Meridionalem appellavimus; Ex autem conjunguntur angusto terræ Isthmo, in quo duo celeberrima Hispanorum oppida sunt sita, Panama nimirum & olim quidem Nombre de Dios, hodie autem Porto Belo. Antequam itaq; Meridionalis Americe descriptionem aggrediamur, hujus Isthmi & provinciæ quæ illum occupat, descriptio ante omnia nobis erit absolvenda, quæ hodie vulgo Panama dicitur & communi nomine ab Hispanis Terre Ferma: Olim autem dicebatur Castilla del Oro, id est, Castella aurea: verum quia Castilla del Oro sèp[er]ius limites mutavit, hinc nonnulla in superioris seculi scriptorum commentariis nata est obscuritas, quæ nobis hic obiter illustranda est. Anno c1515 VIII Didaco de Niqueza concessa fuit præfectura, quam subjugaret & porro teneret, sub nomine Castillæ del Oro; quæ hisce limitibus circumscribebatur, ad ortum occidentali ripa fluminis Darienis in interiori sinu Vrabæ freti; ad occidentem Promontorio Gracias à Dios Hondure provinciæ extimo ad orientem; ab Arcto conclu-debatur Septentrionali Oceano (nam alter adhuc ignotus erat;) porro ab altera flu-minis Darienis ripa versus ortum pertendendo usque ad Promontorium de la Vela, censebatur continens nomine Novæ Andaluziæ. Sed Castillæ del Oro limites statim mutati, & ab occidente contracti, versus ortum in Novæ Andaluziæ terminos invaserunt: Tandem denique nomen Castillæ del Oro plane obsolevit, & Oceano Meridionali jam invento obtinuit nomen Panamæ: Quæ breviter hic monere oportuit, quia hodieque in multis Tabulis Geographicis nomen Castellæ aureæ latissime diducitur, etiam ad illas provincias, quæ nunquam sub ilia fuerunt cōprehensæ: ne si omnino de hac re siluissemus, provinciæ hujus per ignorantiam obliti fuisse vi-deremur. Porro in America Meridionali describenda hunc sequemur ordinem: Isthmo hoc Panamensi prius absoluto, vicinas & contiguas provincias ad ortum adjunge-mus, Cartagenam, Sanctam Martham & Flumen de la Hacha, quæ Continen-tis partes, quia prima post Insulas fuerunt detectæ, vulgo Terræ Firmæ, id est, Con-tinentis nomine hodieque appellantur ab Hispanis; atque hoc hujus libri subjectum erit: deinde ad interiores aliquot provincias describendas nos accingemus, quæ præ-dictis adjacent Novum Regnum Granatense & Popajanam; quæ ubi nos ad mare Meridionale reduxerint, omnes provincias illas quæ Oceano illi pretenduntur, ordine quo jacent, prosequemur ad Fretum usque Magallanicum; illudque emensi, & lustratis obiter terris quæ illi ab Austris objacent, oram itidem Maris Atlantici strin-gemus, & eodem ordine describemus, provinciasque quæ illi adjacent Flumen Ar-genteum, Brasiliam, & omnem oram Barbaram, Pariam, Cumanam, Vene-zuelam, immani ambitu ad flumen dela Hacha rursus producemus, atque ita huic operæ finem imponemus.

## P A N A M A.

## C A P. I.

*Conventus Iuridicus & Provincia Panamensis : illius limites, cœli  
soliisque natura, particulares provinciae.*



ONVENTUS Juridicus *Panamensis* non admodum amplis limitibus continetur, quum illius ludes tantum classibus expediendis & juti mercatoribus dicundo vacent: in longitudinem quidem inter ortum & occasum circiter leuis nonaginta definitur, finesq; habet ad ortum *Cartagenæ & Popayanæ* præfecturas, ad occasum *Castellum Verague*: in latitudinem autem, ubi latissima est inter ambo maria leuis sexaginta, ubi arctissima inter *Panamam* urbem & *Portum Belum* tantum octodecim: idque ratione itinerum inita, quæ impeditissima & tortuosissima sunt; nam si recta ratio secundum coeli mensuram ineatur, vix septem aut octo leuæ inter ambo maria intersunt, ut ab Acosta est observatum, & altitudines locorum evincunt.

Solum maxima sui parte montosum atque asperum; ubi autem paulum subsidet crebra uligine altoque cœno impeditissimum; Cœlum ut plurimum nubilum, humidum & præfervidum: supra modum insalubre, præsertim à Maio ad Novembrem: aër tamen nonnihil à maritimis ventis sufflaminatur corrigiturque; & contra à terrestribus multo gravior efficitur, insalubriorque. A mense Julio ad Novembrem hic pene continuò pluit, tonat, fulgurat, hanc hyemem incolæ patiuntur. Terra infœcundior multarumque rerum indiga; quippe quæ nihil præter Mayzium, idque perparcè producat; melior animalibus, præsertim armentis ob pabuli copiam & bonitatem. Olim ingentes porcorum alebat greges, quos indigenæ in retia sua cogebant, gramine, quod hic in summam altitudinem excrescit, totis campis incenso; hodie paucos, ita ut Hispani de illorum paucitate & lardi caritate conquerantur.

1.7. c. 10. Indigenæ retia illa componebant ex Herba *Nequen* sive *Henechen* ut vocat *Ovidius* qui illam ita describit: Cabuia (inquit) est herba quæ fert folia similia cardui sive iridi, sed latiora & crassiora, magisque viridia: *Henechen* autem est altera herba, foliis itidem cardui, verum angustioribus & longioribus quam *Cabuia*: ex utraque hæc herba ducuntur fila & funes satis validi & pulchri; ex *Henechen* quidem fila subtiliora. Barbari autem has herbas, quemadmodum solent in Europa linum, aliquot diebus deprimit sub aquam in rivis aut fluentis; dein exemptas siccant ad solem, franguntque bacillo, ita ut solæ fibræ remaneant, instar lini; easque denique nent in fila aut contorquent in funes. Mirabile autem quod idem narrat, barbaros his filis ferrum secare & dividere tanquam limâ, minutam arenam aspergendo & funiculos reciprocando ad modum serræ; atque hoc pacto non modo catenas ferreas, sed & anchoras non raro divisisse.

Volatilem satis magna hic copia, phasianarum, turturum & similiū. Mare piscosum, uti & flumina, in quibus multi crocodili reperiuntur, quas Barbari *Caymanes*, Hispani *Lagartos* vocant. Arbores hic perpetuò virent & frondes quidem abundè, fructus parcè ferunt: Multi hic cati sylvestres & animalcula illa quæ catulos suos in sacculo circumgestant, ita tectos ut videri non possint, ædes noctu intrare sueta & gallinis aliisque domesticis avibus admodum infesta.

Plures minores provinciæ comprehenduntur sub hoc Conventu Juridico; quarum *Careta* prima Hispanis innotuit tringita ab amne *Dariene* leuis; & mox *Acla* quinque à *Careta*. Solum hisce editum & montosum uti & provinciæ *Darienis*, (sed cœlo gaudent magis salubri & sereno) atque auri metallorum quondam haud expers.

Comagre. Aclam excipit versus occasum *Comagre*, à qua planicies & campestria sumunt initium;

Careta.  
Acla.

Coma-  
gre.

initium; Vicinæ regiones olim fuerunt frequentissimæ; & in minutiora dominia divisæ: Hispani omnem hanc regionem usque ad *Peruqueten* primis illis temporibus appellabant *Cuebam*: proximas autem provincias, quarum indigenæ nullis regulis parentes in commune consulebant, *Behetrias*. Comagren excipiebat *Chiame* & *Coyba*, atque *Pocorosa*, ubi Hispani quondam municipium habuerunt *S. Crucis*.

Ab oppido Panama versus occidentem jacebat provincia *Chame* & septem ab hac *Chame* leucis *Chiru*; à qua octo leucis abest Escoria, dives salinis; æstu enim maris accedens *Chiru* implet quædam stagna, in quibus marina à solis æstu in salem cogitur.

Escoriæ septem aut octo leucarum itinere sequitur *Nata*: dehinc *Tobre* atque *Nata*, 10 *Trota* montosæ provinciæ atque nemorosæ, quæ pulcherrimas alunt quercus & per amplis glandibus: Ulterius *Huyia* atque *Burica* pene ad limites *Nicaraguae*. Sed non omnes hæc accensentur hodie ad Panamensem præfecturam. Duodecim denique leucis à *Nata* versus Corum, possidebat provinciam *Paris Regulus*, qui Hispanis admodum infestus, multum negotii tum facessebat. Licet autem pleraque harum provinciarum nomina jam obsoleverint, ac ne tunc quidem nisi Regulorum nominibus fuerunt nota, tamen præterite nolui, forte alicubi aut aliquando usum suum habitura.

Porro harum regionum indigenas, qui plurimi fuerunt, Hispanorum crudelitas jam dudum abolevit, & summam hisce provinciis intulit infrequentiam & vastitatem, ita ut hodie plures Nigritæ h̄ic reperiantur quam Americani indigenæ.

Hispani possident in hoc Conventu Juridico tantum tria oppida, Panamam, Portum Beluna & Natam, de quibus jam dicturi sumus.

## C A P . II.

### *Oppidum Panama, illius situs & qualitates.*

**O**PPIDUM *Panama*, à quo ipsi provinciæ nomen, assidet littori Maris Australis, ad nonum gradum altitudinis septentrionalis, & octuagesimum secundum longitudinis, productæ à Meridiano Tolotano in occasum, ut *Herrera* observat in suis commentariis. Pomœrium illius angustius ob vicinitatem stagni, quod magnam cingit oppidi partem, idque ob vapores ex se ascendentes reddit insalubrius: Ipsum oppidum minus apte exædificatum, semitis omnibus inter ortum & occasum directis, quo fit ut mane ferventiores solis radii incident in obambulantes, nullo umbrarum adminiculo, & crebros accendant morbos, multorum plerumque exitio. Quanquam autem sæpius de loco mutando fuerit consultatum, manet tamen haec tenus, sive loci retineat opportunitas, sive eorum qui hodie incolunt brevis in hoc loco statio, & proinde de successuris levis cura: quippe plerique aut mercatores sunt, qui commerciis absolutis alio migrant; aut milites qui nunc ad hæc, nunc ad alia loca mittuntur in præsidia; aut denique absterreat ædificandi difficultas in hisce locis & jam structarum ædium grande pretium: utut sit, locum incolarum valetudini vel maximè infestum, frequentissimum fecit commerciorum frequentia & rem faciendi opportunissima occasio. Nam quotannis appellunt h̄ic Clases è *Peruvia*, *Chile*, aliisque provinciis quæ adjacent Oceano, auro, argento, aliisque pretiosis mercibus onustæ; Solvuntque rursus ex hoc portu onustæ mercibus Europæis, quæ ab Oceano Septentrionali, primo subvehuntur per fluvium *Chagre* deinde terrestri itinere deducuntur ad hoc oppidum; opulento utrobique commercio: quin etiam, ut Hispani produnt, navigant ad Novam Hispaniam, Philippinas insulas, atque ipsum Sinarum Imperium; solventibus hinc navibus circa Festum Nativitatis. Continet civitas, secundum *Herreram*, utplurimum familias Hispanorum sexcentas, maxime mercaturæ vacantium: H̄ic iudices regii cæterique ministri & publicani suas habent sedes: H̄ic est Ecclesia Cathedralis (cujus Episcopus suffraganeus est Archiepiscopi Limani;) monasteria tria, Dominicanorum, Franciscanorum & religiosorum quos vocant *de Mercede*.

Portus hujus oppidi mediocris, licet naves relabente æstu in sicco destituantur, ideoque æstivis mensibus solent consistere in alto; hibernis autem se recipere ad portum *Perico*, duabus ab oppido leucis. Haud procul ab oppido labitur fluvius, descendens

scendens è montibus , & complures rivos atque torrentes recipiens : ad cuius ripas utrimque plures visuntur villæ, quas Hispani appellant *Estancias*, in quibus pecuaria exercetur , imprimis armentorum ob insignem pabuli abundantiam.

Ager suburbanus multas nutrit arbores fructiferas , non modo hisce regionibus domesticas, *Pinnas* beneolentes, *Platanos*, *Guayavas*, *Caymitos*, *Aguacates* & similes, (de quibus alibi plura :) sed & Europæas & ex Hispania huc traductas , aurantia mala, limones, citrea & plures hujuscemodi. Licet autem solum non nisi Mayzium ferat, idque perparce, tamen afflit oppidum omni genere annonæ, quod per mare Australie è Peruvia larga copia subvehitur: atq; ex ipsa Hispania, haud difficulti inter utrumque Oceanum commercio. Flumina pescosa , uti & ipsum mare , quod piscibus (licet multum diversis ab Europæis) ad miraculum usque est fœtum: In littore autem & juxta ipsa oppidi moenia , limacum quoddam genus reperitur, infinita pene copia, (Chucas vocabant barbari) nulla non anni tempestate, facili negotio parabile ; ita ut hisce potissimum imputetur hujus oppidi isto loco substructio ; quippe ita olim apud se reputabant Hispani, non facile sibi esuriem metuendam esse , quandiu hoc genus edulii ipsis suppeteret. Indigenæ omnes jam dudum interierunt , sive Hispanorum saevitia quod valde credibile , sive morbis, ut Hispani credi volunt , licet vero absimile sit, barbaris cœlo insalubri licet, tamen suo assuetis.

## C A P . III.

*Exactissima Urbis Panamæ descriptio à Joanne Baptista Antonelli  
ad Regem Hispaniarum missa, quemadmodum illam è  
libris M. Richardi Hackluyti hausimus.*

20

**P**anama (inquit ) est principalis hujus Diœcœsos Civitas, octodecim distans leucas ab oppido *Nombre de Dios* ; sita ad oram maris Australis, novem gradibus ab Äquatore versus Arctum.. Tria hic monachorum monasteria & una domus patrum Societatis Jesu : & Regii Iudices hic suum habent Tribunal. Civitas condita est juxta mare ad sinum arenosum, ita ut unum illius latus pulsetur ab ipso mari, alterum à brachio quodam maris , quod ad mille decempedas intra continentem se insinuat. Ädes habet trecentas & quinquaginta , è materie substructas ; oppidanos circiter sexcentos; præsidarios ut plurimum octingentos, & quadringentos Nigritas è Guinea , quorum non pauci sunt liberti. Est & quoddam in vicinia municipium, quod dicitur *S. Cruz la Real*, quod totum habitatur à Nigritis libertinis (vocant *Simarones*,) numero fere centum , qui fere in Majestatis Tuæ servitio occupantur : abest autem à Panama leucam unam, ad ripam fluminis constructum, circiter leucam à mari, è regione Portus *Perico*. Hisce autem Nigritis non nimium credendum, utpote infidis & infestis, sed sedulo providendum ne quod forte damnum incautis duint.

S. Cruz  
la Real.

Tria porro sunt itinera terrestria (nam de maritimo nihil dico,) per quæ ad hanc urbem etiam ab hostibus adiri potest. Primum per sublicium pontem, qui super fluviū stratus est : habetque ab una parte elicem, quæ urbem ab hac parte pene inaccessam facit, tam profunda uligine & cœno, ut gressum impedian: è regione decurrit amnis, qui urbem ambit instar fossæ: ab altera parte lacus sive stagnum prætenditur, tota hyeme & bona parte aestatis , aquis repletum, ita ut hoc urbis latus exiguo præsidio possit custodiri. Præcipuum periculum est ab itinere quod à *Nombre de Dios* dicit ad hanc urbem, planum quidem & arboribus nudum: duobus autem decempedarum mill. ab urbe defluit amniculus, quem vulgo vocant *Lavanderam*, quia foeminæ hic vestes lavare consueverunt; Hic amniculus in prædictum lacum restagnat eo modo , quem Majestati Tuæ delineavi , ultra hunc occurrit semita silicibus strata.

Alterum iter versus urbem dicens paulo inferius jacet,juxta pontē, qui ad semitam pertinet quæ ad portum *Perico* dicit. Hęc duo itinera difficulter defendi possunt, quia plana & campestria sunt omnia. Ad orientale urbis latus regia ædificia sunt exstructa super rupē haud longè à mari ad quod leni clivo devergunt, quemadmodum & solum. Conventus Juridicus habetur in hisce ædibus: ibidem & Carcer est & Gazophylacium regium: Hic M. T. Thesaurarius, Præses Iuridicus, & tres Senatores sive Iudices cum

Advo-

Advocato Fiscali & reliquis tuis ministris, degunt conjunctis ædibus, quæ è materie structæ visuntur super eandem rupem: locus autem cui Palatium & carcer sunt inædificata, facillime potest muniri, situs ipsius beneficio & vicinia maris, quod hic multis rupibus constitutum, quæ æstu relabente eminent, nonnullæ & plenis fluctibus. E regione harum ædium versus ortum, quingentiarum decempedarum intervallo, obvertitur continentis semicircularis insula; ex adverso denique harum ædium, est statio navium postquam onera sua exposuerunt: nam cum oneribus suis non possunt huc appellere nisi solùm celoces, quas & fluctus recedens in vadis destituit, circiter triginta decempedis ab hisce ædibus, è regione autem ipsa civitas sita est. Quum superioribus 10 annis rumor increbuisse, pyratas mare Meridionale esse ingressos, Præses atque judices curaverant hic arcem extrui, ligneo vallo; ut hanc civitatem & Majestatis Tuæ Thesauros tuerentur: prætea *Ventam de Cruzes* & amnem *Chagre* atque *Quebradam* communiverant; auxerantque præsidium *Ballani*; nam omnibus hisce locis hostis excensionem facere & provinciam longè lateque posse vastare creditur.

Tribus autem modis hæc civitas levi negotio ab hostibus potest invadi, uno per mare Septentrionale & certum aditum, qui quatuordecim leucas abest à *Nombre de Dios* & appellatur *Acla*; per quem haud ita nuper Pyratam in mare Australe memini-  
mus penetrasse: altero per *Nombre de Dios*; licet enim iter sit arduum & impeditum,  
riguum atque cænosum, novem tamen mensibus utuntur illo incolæ, per aquas cœ-  
20 numq; eluctantes, aut per editas & inaccessas *Capira* montis rupes enitentes, ita ut  
tum facile hostis hic à paucis militibus possit sustineri: verum æstate hæc itinera sicca,  
adituque facilia esse testantur. Tertio denique per fluvium *Chagre*, quod Oceano  
miscentur, octodecim ab oppido *Nombre de Dios* leucis versus Favonium: Hic aditus  
Panamenses maxime sollicitos habet; nam adverso flumine hoc ascendi potest ad  
*Ventam de Cruzes*, atq; inde quinque leucarum itinere terrestri perveniri ad hanc ur-  
bem. Navigatur hoc flumen cymbis, quæ trecētorum & plurium quintalium (pondus  
est Hispánicum centum & viginti libras nostrates æquans) onus ferre possunt, & mer-  
ces Europæas subvehunt ad *Ventam de Cruzes*, unde trium leucarum itinere ducuntur  
*Limaretum*; quæ via planissima est, si incolis credimus: Unde proclive foret hostibus  
30 per hanc viam sibi aditum ad hanc urbem & mare Australe aperire: quin etiam celo-  
ces ad hunc usum paratas secum portare, & mari invehere, atque ita terra mariq; nos  
aggredi, uti satis constat *Franc. Dracum* quondam in animo habuisse facere. Quumque  
incolæ hujus civitatis fere mercatores sint, prælio decernere pertimescunt, res suas in-  
tutum subducere contenti: Quare si Majestati Tuæ placuerit ædes supra dictas muni-  
re, non modo refugium civibus, si quis subitus ab hostibus ingruat metus, sed & gaza  
tuæ tutum poterunt præbere receptaculum. Nam pyratae & rebelles tui, qui has  
oras infestant, id unum semper in votis habuerunt ut hoc loco potirentur, atq; ita una  
opera & commercia inter Hispániam & Peruviam impedirent, & Majestatis Tuæ ga-  
zam deprædarentur. Quare hunc locum probe custodiri summa cautio est; nam hisce  
40 locis bene munitis, non est quod Majestas Tua thesauris suis, aut mercatores suis  
commerciis amplius quicquam metuant: Et si forte quidam in vicinis provinciis ab  
obsequio Majestatis Tuæ recedere & hostibus se conjungere tentaverint (quod Deus  
avertat) non est quod verearis quandiu hæc urbs & *Porto Belo* valido tenebuntur præ-  
fidio. Nam milites ad *Portum Belum* expositi (qui tantum octodecim leucas hinc abest)  
facile huc conduci possunt, & quum ad hanc urbem plerumque pertineant x aut xii  
celoces, iisdem nullo pene negotio ad omnes partes traduci. Nullus Peruviaæ portus  
(Limanum solum excipio) tot habet naves, quot Panamensis. Verum si hæc urbs non  
fuerit probe munita, fieri posset ut pyratae per Fretum Magallanicum in mare Australe  
penetrantes, eo tempore quo gaza huc deducitur (quæ interdum superat quinq; aut sex  
milliones) hic appellerent, eamq; diriperent cum exiguo suorum discrimine: cōmu-  
50 nita autem urbe, facile omnis gaza in tutum potest subduci. Si itaq; Majestati Tuæ videa-  
tur consultum, ab ea parte qua civitas hæc terram respicit, arx lateritia posset excitari  
à fundamentis, loco idoneo & ad id parato, cum suis propugnaculis & fossa: nam à  
parte maris nihil periculi est; quippe æstu bis quotidie accedente & recedente; neque  
tutus navibus accessus quum æstus implevit, neq; quum rupes retrocedēte fluctu sese  
aperiunt, vestigia in lubrico possunt figi: atq; hæc ora ab illa parte de qua modo diximus  
pertinet ad pontē usq; quem vocant *Paita*. Duabus

Perico. Duabus autem ab urbe leucis versus occidente alius occurrit portus, quem nominant *Perico*, à tribus contiguis pene insulis, quæ semicirculari forma Continenti oblicant, adversus incerta ventorū egregiè munitus, intus patens semileucam: Continens autem editior, insulæ depressores: aquatio hic commoda; nec portus adhuc ullius navi exitio infamis: nam pleno mari altus est orgyas septem; relabente æstu tres quatuorve: & anchoræ valide tenent, & naves ubi opus est levi opera statuuntur in sicco, ut refici possint. Hunc portum subintrant naves è *Peruvia* redeentes auro atque argento onustæ; & quum nullo opere sit munitus, facillime illum pyratæ possent ingredi & omnes naves spoliare: nam celoces omnes quæ Mare Meridionale navigant, ita ut plurimum sunt inermes, ut vectores vix gladium habeant quo se tueantur: & nullum est in vicinia præsidium quod hostes valeat impedire. Abest autem hic portus à *Venta de Cruzes* leucas quinque. Itaque hic arcem excitari operæ premium erit, in media harum insularum, & machinas aliquot maiores disponi; idque exiguum sumtu, quia ipsa insula necessaria ad hanc molem subministrabit: atque ita non modo urbi sed & portui optime foret prospectum.

Caracol. Est præter hos, adhuc aliis ad Mare Australe aditus, per fluvium quem vocant *de Francifca* juxta *Cabecam de Cattiva*, secus oram maris Septentrionalis: nam hoc flumen ingressis breve est iter ad flumen *Caracol*, quod quinque ab hoc oppido leucis descendit in Oceanum Meridionalem: Simarones aliquando Gallum quendam per hanc viam in hoc mare traduxerant. Hæc ille. Quid autem horum, quæ hic ne- 20 cessaria autumat, hactenus perfectum fuerit, mihi non satis constat.

## CAP. IV.

*Oppidum Nombre de Dios: & locorum adjacentium situs & qualitates.*

**A**LTERUM hujus Præfecturæ oppidum est *Nombre de Dios*, sed quid dixi est, imo fuit, quippe jam derelictum, incolis illius ad *Portum Belum* traductis: nec opus esset illius mentionem hic facere, nisi interesset loci situm & portus opportunitatem, locorumque adjacentium qualitates cognoscere. Hispani scriptores ad unum omnes graviter conqueruntur de loci hujus insalubritate; & Herrera testatur in sua Historia, pene innumeros Hispanos hic variis morbis interiisse. Oppidum enim cingebatur paludibus & uliginoso solo, è quo pestilentissimi & valetudini hominum infestissimi vapores exhalant. Sed operæ premium est *Ioan Baptistam Antonelli* audire.

*Nombre de Dios* (inquit) conditum est ad arenosum sinum haud longe ab Oceano Septentrionali, triginta circiter constans familiis: domicilia lignea: incolarum autem plerique sunt advenæ, nec fixa hic habent domicilia; ager vicinus aut densis sylvis est opacus, aut jugibus paludibus suffusus, & profunda uligine pene invius, ob aquarum abundantiam, quæ ab umbrosis montibus descendunt: portus neque comodus, neque aquationi opportunus, expositus est enim aquilonibus, qui jugiter hic perflant; nec satis altus, ita ut majora navigia maximam partem mercium exponere cogantur antequam illum subeant. Si vero ventus ab Arcto aut Coro vehementius perflet, coguntur onerariæ interdum sex anchoras jacere, neque audent funes laxare, ob scopulos & brevia quæ utrinque imminent, fervet enim tum mare & ingentes fluctus agit ad littora, ita ut naves valide concutiantur & cum ingenti discrimine nunc funes rumpantur, nunc gubernaculum excutiatur, aliaque incommoda navigiis accident. Oppidum quidem affabre conditum est & opportune situm ad orientale portus latus supra petram, ubi nullo pene negotio Arx ad defensionem portus posset ædificari; veruntamen, quum portus tam incommodus sit, non possum author esse Majestati Tuæ ut alios sumtus hic faciat, quam vallum circumducere, quo incolæ se suaque adversus trium quatuorve navium classem possint tueri. Panama abest hinc octodecim leucas, impeditissimo itinere: nihil tamen secus omnis auri atque argenti gaza, tam Majestatis Tuæ quam privatorum hac deportatur; Europeæ autem merces, primum minoribus navigiis ad *Chagre* fluminis ostium devehuntur, deinde adverso flumine subducuntur ad *Ventam de Cruzes* denique

denique ab hoc hospitio quinque leucarum itinere mulis bajulantur ad oppidum Panamense. Situm est hoc oppidum novem gradibus & viginti scrupul. ab Aequatore versus Arctum. Si Majestas Tua consultum putat hoc oppidum demoliri & oppidanos traducere ad *Portum Belum*, aliud iter moliendum erit per montana *Capire*, cætera enim difficillima sunt & facile possent obturari: portusque hujus fauces exigua impensa obstrui, onerariis aliquot quæ præ vetustate dehiscunt, hic depresso & saxis in altum projectis: Verum magna hic inopia est saxorum, ita ut naves quum iis opus habent, illa ex vicina insula, quam vocant *de los Bastimentos*, cogantur petere. Hactenus ille scribens ad Regem Hispaniarum anno c<sup>lo</sup> l<sup>c</sup> l<sup>r</sup> XXXVII. Angli autem, 10 qui anno c<sup>lo</sup> Ic xcv, duce fortissimo Equite *Francisco Draco*, oppidum hoc diripuerunt atque everterunt, longe aliter loquuntur de hoc oppido illiusque portu: testanturque oppidum fuisse amplum, latis plateis, ædificiis ligneis sed præaltis; templumque habuisse satis elegans licet itidem ligneum: Situm esse in humido solo & sub cœlo crebris nimbis obnoxio, ideoque valetudine incolarum tam infami, quam illum sit in toto Orbe. Ad ortum ab oppido descendere in sinistrum Sinus latus, amniculum quandam, cuius aquæ limpidissimæ sint & potari pulcherrimæ: ad cuius ripas aliquot villæ & rustica prædia erant condita: stationem ante oppidum satis commodam, licet ingressuris dextra levaque series rupium objectentur, levi tamen discrimine, quum facile vitari possint, utpote quæ periculi ultro admoneant, & tam 20 intra quam extra rupes, anchoras liceat figere. Cur tam diversa Angli atque Antonellus de hoc loco tradiderint, non aliam causam possum comminisci quam quod huic ita expediverit, ut Regem facilius permoveret ad oppidum demolendum & aliò transferendum, quemadmodum postea factum est, uti statim dicetur.

## C A P . V .

Portus Beli *descriptio secundum Joannem Baptistam Antonellum.*

**P**orto Belo (inquit) distat à *Nombre de Dios* leucas quinque versus occidentem, 30 commodissimus portus & quamplurium navium capax, fundo anchoris tendis perdoneo, nam mare altum est sub ipso pene littore orgyas quinque aut sex, in medio ipsius portus duodecim, fundo aut molli aut arenoso, nullà hic brevia aut scopuli: Duodecim qua rivi qua amniculi conjunctim in illum descendent, ita ut aquatio quovis tempore hic facillima sit. Abundat præterea adjacens ager materie cædua, perutili ad naves fabricandas: Ut & saxis ad navium sentinam explendam: nullum in portu adeundo discrimin, præterquam quum ventus ab occidentali plaga perflat, quod hic valde rarum. Nam venti qui hic crebrius spirant, sunt Arctoi, orientibus magis noxii & nonnumquam navigantibus permolesti. Intra portum jacet stagnum, quingentas decempedas in longitudinem, totidemque 40 in latitudinem patens, juxta fauces trecentas pene decempedas latum & supra quatuor orgyas altum, interius autem sex, fundo molli & cœnoso, ita ut naves nullum detrimentum accipient licet impingant aliquando, vadisque hæreant, littus ipsum vadorum & scopulorum expers, fidumque navigantibus, ita ut nullo discriminè ubicunque lubet anchoras jacere proclive sit. Portum cingit nemus & palus quæ facilis negotio objecto aggere poterit siccari & armentis pascua præbere: id præcipuum oppidorum emolumentum; pascuorum autem juxta *Nombre de Dios* summa est inopia, itaque ibidem nulla armenta pasci possunt, & caro omnis inde ab oppido Panamensi petenda: Planicies præterea jacet ad australe portus latus, oppido superstruendo valde idonea, ad radices montium, qui modico jugo eriguntur, & ubi 50 tres amniculi pulcherrimarum aquarum devolvuntur: & agri Mayzio aliisque frugibus serendis perdonei sunt atque uberes. Hic quoque permagni lapides reperiuntur, cœmento conficiendo, ut putant, apti (nam nondum cepimus experimentum) denique ne tardios simus, omnia condendo oppido necessaria hic abunde suppetunt. Solum cui oppidum superstrueretur saxosum est, aer autem imprimis temperatus & salubris. Ne autem aqua pluvia, quam nimbosim montes (qui imminent,) hibernis mensibus profundunt, nocteat oppido, stagnum ad radices montium effodiendum erit

erit quo torrentes recipiantur atque inde per emissarium in Oceanum deriventur. Utilissimum autem fuerit oppidanos è *Nombre de Dios* huc traducere: quod ipsis neque grave neque sumtuosum est futurum, quia in oppido illo omnes aedes è matre substructæ sunt, quam huc transportare haudquaquam difficile erit, ut neque tegulas tectorum. Si Majestati Tuæ hoc consilium probetur, primum semita apertienda erit, deinde templum aliaque publica ædificia, & præsertim Teloneum oppidi *Nombre de Dios* destruenda & hic rursus substruenda: denique Classibus quæ quotannis ex Hispania solvunt imperandum ut hunc portum adeant: ita enim futurum est ut & mercatores huc apothecas suas transferant, & magna hominum frequentia ad novum confluat oppidum.

Ad portus autem atque oppidi tutelam necessarium erit, in montis, qui ab Arcto portui imminet, vertice, exiguum & quadratum castellum moliri, ubi quatuor quinqueve tormenta bellica statuantur, & sex præsidiarii continuo excubent; nec majori molimine hic opus est, nam universus portus cingitur à sylvis atque crebris scopolis. E regione vero aliud castellum ad modum turris substructetur, atque in eo collocabuntur octo machinæ bellicæ, & viginti milites præsidiarii, id enim præcipuum momentum adferet ad oppidum protegendum, utpote vicinus & pene conexum. Ad Arctum porro adjacet astuarium octo orgyas altum, commodissimam stationem præbens, ita ut hoc castrum & oppidum defendere & hostibus insigne detrimentum possit adferre, atque adeo omnem oram tutari, quæ hic nonnihil proximet & vergit ad Insulam Bonaventuræ. Licet autem prius castellum aut concidere aut ab hostibus intercipi contingeret, nihilo tamen minus hoc alterum ad oppidi defensionem sufficeret; modo tantum viginti milites in opposito colle collocentur, ita enim vel magnum hostium numerum haud difficulter poterunt arcere. Distat hic portus novem gradus & viginti scrupul. ab Æquatore versus Arctum.

Iter quod ab hoc loco ad Panamam ducendum erit, haudquaquam difficile est futurum, quemadmodum à Simaronibus accepi: Nam licet hybernis mensibus ut plurimum aquis oppleatur, tamen aestivis est siccum: quibus autem locis profundiore uligine invium manet, lignis poterit sterni & saxis, quorum magna hic copia: sumtus vero ad hanc operam haud difficulter suffici possent è Majestatis Tuæ portoriis in oppido Panamensi, quæ singulis annis duodecim aut quatuordecim reddunt ducatorum millia. Atque hæc ille.

## C A P. VI.

## Oppidum S. Philippi ad Portum Belum; atque municipium Nata.

**P**HILIPPUS II Hispaniarum Rex, consilio *Ioan. Baptiste Antonelli*, quod supra inseruimus intellecto, & maturè cum Præside & Senatoribus supremi Consilii Indici in Hispaniis ponderato, tandem sibi persuaderi passus est ut *Nombre de Dios* penitus derelicto, aliud sui nominis oppidum ad *Portum Belum* conderetur. Antonellus itaque decreto Regis accepto, pomœria urbis designavit, & arcem unam communivit; & jam locum alteri ceperat è regione portus, quum *Franciscus Dracus* cum classe sua, post oppidum *Nombre de Dios* captum atque direptum, hunc portum adiret & haud longe ab illo fato fungeretur. Qui res ab ipso postrema hac expeditione gestas in commentarios retulit, testatur hunc portum tam majoribus quam minoribus navigiis opportunissimum esse, atque adeo omnes hujus Continentis portus & stationes plurimum anteire: Vix octo aut decem aedes ibidem tum erant constructæ, præter majorem unam quæ Præfecto struebatur, & arcis munitissimæ fundamenta jam moliri cæpta è transversis trabibus, saxisque & terreno vallo: opus in speciem magnificum & si perficeretur validum adversus hostiles incursus munimentum futurum: hæc prima nascenti urbi calamitas ab Anglis obtigit, opera pene disjecta. Nihilo tamen segnius post Anglorum discessum, oppidum & castella perfecta; profuitque illi *Nombre de Dios* excidium, incolis illius haud in-vito commigrantibus: quo factum est ut oppidum *S. Philippi* statim & ædium multitudine & civium frequentia cresceret.

Anno

Anno autem c<sup>1</sup>o I<sup>o</sup> ci oppidum hoc denuo ab Anglis interceptum fuit in hunc modum. *Wilhelmus Parkerus* cum duabus onerariis & una celoce, quibus ducenti qua milites qua nautæ vehebantur, ex Anglia profectus, sub Insula de los Bastimentos aliquandiu in anchoris substitit, & postquam centum quinquaginta milites duabus liburnicis & totidem cymbis imposuisset, noctu subluni portum est invectus, quumq; ad majus castellum, cui *S. Philippi* nomen, venisset & ab excubitoribus interrogatur unde veniret, respondit à *Cartagena*, deinde anchoris jactis diem operiri iussus, paruit; sed paulo post cum duabus cymbis, excubitoribus oppositi castelli, cui nomen *S. Iago*, nequicquam inclamantibus, recta contendit ad oppidum & tantum triginta militibus delectis comitatus, suburbanum quod vocant *Trianam*, ex improviso cepit atque incendit; inde festinanter ad oppidum movens & recta ad Regis Gazophylacium contendens, in aliquot milites & duo ænea tormenta impegit, quibus fortiter repulsis & tormentorum compos factus, suos qui commodum cum liburnicis appulerant suscepit: Præfectus oppidi *Petrus Melendas* interea, sexaginta suorum coactis, quum Anglos ponte, qui ipsi necessario transeundus erat, omni opera arcere niteretur, duobus vulneribus acceptis in vicinam domum se recipere compellitur, & mox post anceps certamen capit: dein Angli, Regii Gazophylacii compotes facti, tantum novem aut decem ducatorum millia in illo invenerunt; nam paulo ante centum & viginti millia ducatorum, cum duabus liburnicis Cartagenam fuerunt missæ. Oppido autem interdiu spoliato, noctu rursus ad naves suas se receperunt, nullo alio damno oppido illato, neque ullum insigne damnum in regressu ab arcibus passi. Testantur illi, duo jam tum tempa in oppido fuisse constructa, sex septemve plateas ædibus utrimque substructas, & plures Mechanicorum & institutum officinas. Castellum *S. Philippi* ad orientale portus latus situm est, in quo triginta quinque majora tormenta erant & quinquaginta præsidarii, è regione autem illius Castellum *S. Iacobi*; duo insuper minora juxta oppidum. In oppido denique atque castellis haud supra ducentos quinquaginta erant præsidarii milites & unum oppidanorum vexillum. Atque ea tum oppidi atque arcum facies fuit. Postilla adhuc majus & munitius castellum conditum fuit, inter arcem *S. Iacobi* & oppidum, ad occidentale sinus latus, quod quadraginta tormentis majoribus instructum volunt, quæ triplici ordine digesta. Sinui denique, qui patentissimus, in alto objacent duæ parvæ insulæ, una, quæ minima, haud longè ab angulo occidentali & arce *S. Iacobi*, altera juxta angulum occidentalem & è regione *S. Philippi*. Merces omnes ab hoc oppido duabus viis transportantur ad oppidum *Panamam*, una terrestri, quæ longe expeditior & facilior quam à *Nombre de Dios*: altera maritima, primum ad *Chagres* fluminis ostium, quod hinc abest leucas tredecim, deinde adverso flumine, eo quem supra descripsimus modo; exit & alter amniculus in mare duabus ab arce *S. Iacobii* leucis versus occidentem, ad cuius latus orientale exiguum munimentum struxerunt; uti & ad ripam orientalem *Chagres* juxta ostium.

Tertium hujus Præfecturæ oppidum appellatur *S. Iago de Nata* & simpliciter *Nata*; Nata, situm est autem ad mare Meridionale, triginta à Panama leucis versus occidentem. Ager illius fertilis atque planus, per amoenus; clauditur ad septentriones *Vrraca* & *five Veraguæ* montibus.

Ab hoc oppido versus Euro austrum jacet provincia *Paris*, cuius regulum *Cuta-* Paris. *tiram* multa hostilia quondam in Hispanos fuisse ausum, supra monuimus. Cap. 11

## C A P . VII.

*Flumina & littora hujus Præfecturæ Panamensis, & præfertim fluvius Chagre.*

**P**RINCIPALIS hujus Præfecturæ fluvius ad mare Septentrionale, barbaris quidem *Chagre*, Hispanis autem dicitur *Rio de Lagartos*, id est, *Crocodilorum Chagre*. fluvius: qui novem gradibus & viginti scrupulis ab Äquatore versus Arctum descendit in mare, octodecim quidem ab oppido *Nombre de Dios* leucis, tredecim vero ab oppido *Porto Belo*. Ab ostio hujus fluminis ad *Ventam de Cruzes* octodecim

numerantur leucæ, ad quem locum omnes merces Europeæ subvehuntur, & mulis deinde atque jumentis impositæ, quinque leucarum itinere ad Panamam. Flumen hoc valde augetur atque intumescit hibernis mensibus. Cymbæ quibus hic utuntur, pleræque sunt, ut loquuntur nautæ, sedecim Doliorum, & trecenta circiter quintalia (ut Hispani usurpant) vehere aptæ. Æstivis vero mensibus alveus illius exilior est, ita ut illis mensibus subvectio multo difficilior sit, multisque locis onera sua cogantur exponere & nonnisi magno molimine & multorum hominum opera funibus subducantur. Quare *Ioan. Baptista Antonellus*, cuius jam aliquoties meminimus, Regi Hispaniarum author fuit, ut castellum juxta fluminis ostium communiri juberet, & minores cymbas fabricari, quibus merces æstate subvehentur, majoribus in hyemem sepositis: & semitam ad alteram fluminis ripam duci, qua expeditius cymbæ funibus subduci possent: neque difficile factu autumat, ripis fere planis & æquali solo: tantummodo arbores quæ utrumque incumbunt & nonnumquam transversim incidentes navigationem remorantur & impediunt, cædantur. Ostium fluminis, ad lapidis jactum, amplum, satisque altum, atque adversus *brisas* (ita vocant ventos orientales, qui hic fere jugiter perflant) nonnihil munitum. Flumen denique piscosum, & juxta ripas, ob sylvarum densitatem, multarum ferarum opportuna habetur venatio.

Chepo.

Ad mare Meridionale habet hæc Præfectura fluvium *Chepo*, juxta cuius fontes superiori seculo multum auri erutum volunt. Ab oppido autem Panama versus orum exit in Australem Oceanum fluvius *de las Balsas*, uti vocatur ab Hispanis, ad cuius ripas materies fabricandis navibus peridonea reperitur; nam quum *Vascus Nonnius de Balboa* detecto tum primum mari Australi, vicinas regiones lustrare in annum induxisset & cymbas aliquot *Aclæ* præparasset, magnoque labore ad hunc flumen terrestri itinere deduxisset (nam inter *Aclam* & mare Australe tantum duas & viginti leucas interesse scribit *Herrera*) materie omni subito à carie corrupta, (quippe locis mari nimium vicinis aut intempestive cæsa) voti pene irritus, aliam lignorum copiam hic cædere aggressus, feliciter quod cooperat perfecit & cum aliquot cymbis secundo flumine penetravit in mare Australe. Fluvius autem hic certis anni tempestatibus in tantam excrescit altitudinem, ut ripis superatis, vicinos agros longe lateque inundet; id ejusdem *Balboa* discrimine observatum, cui tam inopinato hæc inundatio supervenit ut pene oppimeretur, nam cum suis in arbores eniti coactus vix evasit exitium: utili in futurum documento, quibus forte simile quid in hoc fluvio moliri propositum fuerit. Sunt & alii hujus Præfecturæ fluvii ad utrumque mare, de quibus nihil illustre accepimus, itaque mox in ora maritima describenda eorumdem opportune suis locis recordabimur.

## C A P. VIII.

*Flumen Darien & Provincia ejusdem nominis.*

**P**anamensem atque Cartaginem præfecturas dividit Fretum *Vraba*, in hujus intimum gremium, ad latus fretum ingredientibus dextrum sive Occidentale, descendit *Darien*, limpidissimum flumen & potari pulcherrimum: à quo Provincia *Dariena* nomen accepit. Hæc & cœli temperie & soli fecunditate præsertim, à multis commendatur; melones enim & similes fructus, intra vigesimum diem ex quo satæ fuerint plantæ, & germinare & fructus suos ad perfectam maturitatem perducere: vites quoque atque fructiferas arbores celerrime & exquisite fructus ferre atque maturare non minus quam in Hispaniola atque aliis insulis. Inter fructiferas arbores celebrantur à *Gomara*: *Mameya* formosa arbor, lætè virens, ramosa, frondibus magis longis quam latis, materie porosa, fructu grandi & rotundo, sapore mali Persici, carne autem *Cotonei*; tres quatuorve nucleos habens conjunctos valde amaros. *Guanaho* alta & speciosa arbor, fructu grandi instar capitis humani, cortice tenui & squamis quibusdam planis & levibus tefto, carne intus candida, tenera & suavi, quæque instar cremoris lactis in ore dissolvatur, sed pluribus nucleis permixta, qui dentes & gingivas offendunt: refrigerat, ideoq; æstate fervente jucundissimè sumitur. *Hovo* (aliis *Horio*) grandis arbor, viridis, cuius umbram salubrem

est

Guana-bo.

Hovo.

esse volunt, quare tam Hispani quam indigenæ sub illa somnum solent capere: è germinibus illius aqua extrahitur admodum odorata: è cortice autem balnea parant ad poros cutis aperiendos & pedes abluendos atque fovendos (lassitudinem enim auferre dicitur;) è radice si vulneretur copiosus emanat liquor, potari optimus: Fructus illius fuscus est, exiguus & pauxilla carne circa nucleum plane osseum, salubris & facilis concoctu, sed gingivis ob nuclei scabritiem inimicus. *Guayava* denique arbor modicæ magnitudinis (inquit Monardes) ramis sparsis, folio laurino, sed crassiore & latiore (inquit *Gomara*) flore candido, aureæ mali floribus simili, aliquanto tamen majori & odorato; fructus malis nostris est similis, initio viridis & post maturitatem aureus, pulpa interiore alba, interdum etiam rosea. Divisus quatuor concavitates sive vascula habere conspicitur, in quibus semina reconduntur, mespilorum seminibus similia, durissima, colore fusco, omnino ossea, medullæ & saporis experta: Fructus edi solet prius demto cortice; palato gratus, salubris & concoctu facilis: frigidus esse videtur, propterea datur febricitantibus assus: viridis adstringit, sed maturus solvit alvum.. De hisce arboribus alibi quoque diximus, sed non inutile putavimus ea- rumdem hic meminisse & *Gomaram* de illis audire.

Feræ hujus provinciæ sunt Leones, sed Africanis & minores & minus feroce: Leones pardi Africanis plane similes, hominibus tamen mintis infesti quam Tigres; Cati sylvestres grandes & velocissimi: cervi Europæis similes, sed minores neque tam 20 veloces: Vulpeculæ sed minores & diversi coloris: damæ modicis mulis magnitudine pates sine cornibus; cuniculi, lepores: Simii & Cercopitheci tam multi & tam varii ut pene superet fidem: aliaq; animantia & feræ: Unum denique animal commemorat *Petrus Martyr* ob peregrinam formam; est enim magnitudine Tauri, proboscide & au-ribus Elephanti, sed neque tam grandibus neq; tam patulis, pedibus & ungulis equi.

Avium elegantissimarum ingens hîc copia, sed vix ullæ à cæteris Americanis di- versæ, præterquam quod ad ripas magni fluminis de quo statim dicemus, pavones qui- dam reperiantur, mira colorum varietate & ab Europæis nonnihil diversi. Infestantur autem incolæ à quibusdam vespertilionibus, quorum morsus admodum sunt venenati, plurimumq; sanguinis effluit è vulneribus, ita ut difficulter fisti possit, nisi aut aqua 30 marina abluantur, aut calente cinere foveantur, quæ remedia tandem huic malo sunt inventa: nec desunt hîc angues & serpentes, aliaque noxia & venenosa animantia.

Porro *Petrus Martyr* in decadibus suis Oceanicis scribit; Sinum *Vraba* latum esse millia passuum quatuor & viginti, quòque magis se recipit intra continentem, eò ma- gis angustari; in illum autem diversa flumina descendere: Forum autem unum, quod vocant *Darien*, parvo lentoque alveo fluere, ita ut tantum uniligneis barbarorum lin- tribus ferendis sit idoneum. In eundem sinum exit & alterum flumen, quod Hispani ab amplitudine appellarunt *Rio grande*, æstuarium enim illius duas leucas patere scri- bunt, plurimosque alere crocodilos; crebro etiam superatis ripis omnibus in vici- nos agros restagnare, multasque paludes & uliginosa stagna post se relinquere.

40 Tertium flumen quod in hunc sinum se exonerat, appellatur à Martyre *Dabayba*, & *Dabay-*  
*S. Joannis*; id ab oriente ex altissimis *Dabayæ* montibus devolutum, egreditur in *ba.*  
Urabæ sinum per septem ostia, uti Nilus in Ægypto, quæ tria milliaria occupant  
quorum præcipuum nonnullibi quadraginta aut quinquaginta orgyas est altum. Di-  
stat à flumine Darienis versus ortum leuc. novem. Hispani præter jam dicta & alio-  
rum hic meminerunt, quorum unum quidem à retibus ibidem inventis *Rio de las Redes*  
vocant; alterum autem *de la Trepadera*, quem *Andreas de Garabito* anno c<sup>lo</sup> x<sup>o</sup> x<sup>iiii</sup> ascēdit ad montana usq; ubi & alium amnem offendit, qui diverso cursu ad mare Au-  
strale properabat. His accedit amnis quem Hispani dixerunt *de las Annades*, ubi quon-  
dam municipium condere cæperant, septem leucis à *Dariene*, in regione peramœna  
& fertili, ad fines provinciæ *Ceracane* cui tum Regulus prærat *Abraiben*: cuius sub-  
diti tuguria sua in fastigiis arborum instruxerant. Meminit denique *Herrera* fluvii  
*Corobari* haud longe à Dariene, qui permeat agros fertiles, & cœlo perquam salu-  
bri, ita ut Darienis incolæ ægros suos huc traducerent ad sanitatem recuperandam.

*Oppida quæ Hispani quondam habuerunt in Provincia Dariena.*

**S**UPERIOR E capite Provinciam *Darienam* & flumina quæ descendunt in Urabæ Fretum utcunque descripsimus: licet autem hodie Provincia illa pene deserta nullisque Hispanorum oppidis culta sit, tamen non abs re fuerit, paucis hic commemorare, quæ loca olim ab Hispanis h̄ic culta, quæque oppida variis temporibus in hac provincia condita rursusque derelicta fuerint.

In Præfatione ad hunc librum præmonuimus, hanc continentis partem quæ hodie vulgari nomine ab Hispanis appellatur *Terra Ferme*, olim in duas veluti provincias fuisse divisam, Castellam auream & Novam Andaluziam; quarum illa occidentalem partem earum provinciarum quæ Urabæ Fretum adjacent, atq; adeo Darienam complectebatur, hæc vero earumdem partem orientalem. Porro *Alfonsus Oieda* quum animum adjecisset ad novam Andaluziam subjugandam, tum vix leviter cognitam, illius præfecturam speciali impetraverat diplomate, (sub certis conditionibus) ab Hispaniarum Rege anno cIo Io viii. Itaque navibus aliquot, milite & omni genere commeatus instructis ex Hispaniola solvens, attigit Continentem illa parte ubi nunc *Cartagena* condita cernitur; & exscensione facta, aquandi & lignandi causa; insignem cladem passus est à bellicosis & præferocibus barbaris, qui ibidem incolebant, septuaginta suorum desideratis; quam tamen *Niquesa* cum suis commodum superveniens, longe pluribus barbarorum cæsis, egregie est ultus. Verumtamen hic nequaquam sibi consistendum ratus, cursum flexit ad *Urabæ* fretum, flumen *Darienæ* investigans, (de cuius opulentia incertus rumor jam percrebuerat;) in quo quærendo quum aliquandiu frustra operam sumisset, classem vortit ad orientale Freti *Urabæ* latus, & exscensione facta, condidit ibidem municipium *S. Sebastiani*, in agro perfœundo & omnibus rebus ad vitam necessariis affluente, ut *Herrera* testatur. Indigenis autem advenarum cito pertæsis, quum Hispani annonæ penuria laborare cœpissent, & barbarorum insidiis atque armis premerentur, municipium vix inchoatum, rursus deseruit *Oieda*, suosque omnium rerum indigos destituit: quare & illi, qui relicti fuerant, consensis liburnicis, quæ supererant, in diversa discesserunt: Sed jam longius provectis supervenit *Encisus* cum annona & supplemento militum, eosq; pene invitatos secum reduxit, applicuitque ad freti *Urabensis* latus occidentale.

Hic jam fluminis Darienis, quod *Oieda* frustra quæsiverat, forte fortuna compos factus, ad ripam illius molitus est oppidulum, quod *S. Marie Antiquæ* nomini dedicavit anno à Christo nato cIo Io x. Id paucis annis colonorum numero & opibus ita crevit ut anno cIo Io xiv Episcopatu insigniretur. Verumtamen quum *Vasco Nonnus Balboa* non minori industria quam labore aditum ad mare Australe, (de quo prius obscura fama barbarorum indicio ad Hispanos pervenerat) aperuisset; & spes opulentia, quam tot tantæque provinciæ ad illum Oceanum sitæ haud frustra promittebant, cuiusque non levia jam indicia perceperant, indies cresceret; oppidum hoc, ab Petreio Davila, quem Rex Hispaniarum huic provinciæ præfecerat, fuit desertum, & incolæ ad Panamense oppidum traducti anno cIo Io xix: causam facti sui prætexit insalubritatem aëris, quæ plures Hispanos in urbe hac brevi tempore abstulerat. Etenim, ut *Petrus Martyr* testatur, oppidulum hoc constructum erat ad fluminis ripam, in humili planicie & altissimis montibus undique cincto, quo siebat ut aër h̄ic & supra modum humidus & fervidus esset: quibus accedebant crebræ paludes & uliginosa stagna, gravem & teturum odorem exhalantia.

Addit *Gomara* tam hic quam in reliquis hujus continentis provinciis, Hispanis vulgo accidere, ut colorem fuscum & subcroceum, ad modum eorum qui ictere laborant, contrahant: fieri (inquit) potest ut ingens auri appetitus, quem peccatore gestant conclusum, sese hoc indicio prodat & cutem ipsis hoc aureo colore inficiat: suorum avaritiam sugillans & facetè ridens.

Sed longe maximum incommodum patiebantur oppidani, à subvectionum difficultate pariter atque caritate, quia oppidum longissime aberat ab Oceano. Has ergo

ergo ob causas oppidum minus commodum fuit judicatum, licet provincia ipsa haud dubio amœna esset & valetudini incolarum non inimica.

Aliud præterea municipium à militibus *Avile* conditum fuerat in provincia *Pocorœ* ad ripam fluvii *S. Crucis*, uti appellabant Hispani; quod mox à barbaris ex improviso captum fuit & funditus deletum.

Anno quoque cīo lo xv ab eodem *Avila*, colonia fuit deduc̄ta ad portum *Acle*, viginti leucis ab oppido *S. Mariæ* antiquæ versus Corum: (ut Pet. *Martyr* anno-tavit) juxta littus maris; qui portus quidem satis altus, sed aditu difficilior, ob cele-rem Oceāni fluxum, qui hanc oram radit. Ager hujus oppidi erat montosus, sed sa-  
10 lubrior multo quam Darienis, & auri venarum haud expers creditus.

Insula quædam h̄ic objacet Continenti, quam vocant *de Pinos*. Urbs tamen, de qua modo, brevis quoque fuit ævi omnisque illius memoria jam interiisset, nisi suppicio *Vasci Nonnii Balboæ* signaretur, quem Avila h̄ic (jure an injuria non satis li-quet) bene meritum sane de Regno Hispaniarum, ob Maris Australis primam in-ventionem, capite plectendum curavit.

Postilla Provincia *Dariena* atque adeo totum occidentale *Vrabæ* latus, inde à *Nombre de Dios* ad intimum Sinus hujus gremium, vastum atque incultum mansit, nec ulla hodie hic oppida aut pagi Hispanorum visuntur: de orientali ejusdem Freti latere postea dicemus, quia hodie ad præfecturam *Cartaginensem* pertinet.

20

## C A P . X.

*Ora maritima, promontoria, sinus, flumina, portus præfecturae  
Panamensis.*

**Q**UAM Præfectura hæc inter duo maria sita sit, utrumque oram illius descri-bemus. Ad mare Septentrionale ita se habet: A *Nombre de Dios* versus occiden-tem littus legendō, ad *Portum Belum* leucæ numerantur quinque: è re-gione hujus in alto mari sitæ sunt insulæ quas vocant *las Miras*, itemque *Insula de los  
30 Bastimentos*; quam Columbus h̄ec nomine insignivit, quod cum casu ad illam ap-pelleret, aliquot arva Mayzio sata h̄ic invenisset, atque ita annonæ (id enim vox Ba-stimenti sonat Hispanis) compos esset factus. Portui Belo unius leucæ intervallo proximus est portus *Bonaventuræ* à quo ad portum *Gallinarum* tres numerantur leucæ; & ab hoc ad portum *Locustarum* totidem; quem sequitur exiguus portus vulgo *el Portete* & denique fluvius *Chagre* de quo jam ante diximus: Hactenus ora hujus Præfecturæ à *Nombre de Dios* ad occidentem pertinet. Ab eodem oppido versus orientem tendendo, fluvius *Sardinilla* ab est leucas duas; *Sardina* autem quatuor; & porro fluvius *Mayzii* & *Colubrorum*: à quo ad amnem *Francisca* (cujus *Antonellus* cap. IIII. supra fecit mentionem in accurata urbis Panamensis lustratione) & ad Freti Ura-bensis exordium, octo designantur leucæ. Ad oræ porro conversionem versus Au-strum, eminent montes *S. Blasii*, quibus objacet insula, quam vocant *Captivam*: hanc excipit altera vulgo *Comagre* dicta; ad Continentem autem sequitur portus *Acle*, cui è regione *Insula Pinorum* respondet: & denique portus *Nilcos* haud longe ab ostio *Darienæ* fluvii, qui præfecturam hanc à *Cartaginensi* dirimit: atque h̄ic desinit *Vrabæ* fretum, unde & *la Culata*, (quasi dicas gremium Sinus Urabensis) Hispanis appellatur. Sinus enim qui proprie Urabæ Fretum ab Hispanis dicitur, prout traditum invenio ab *Herrera*, sumit initium octo gradibus ab Äquatore ver-sus Arctum & irrumpit quatuordecim leucas intra Continentem, in ipso quidem aditu sex leucas latus, mox quinque & denique quatuor: quinque autem leuc. ab  
50 ostio illius versus Austrum oppidum *S. Mariæ* antiquæ vel Darienis, de quo supra diximus, fuit conditum: Atque hæc de orâ ad mare Septentrionale.

Ora porro præfecturæ Panamensis ad mare Australe, in hunc modum describi-tur ab Hispanis. Ab oppido *Panama* versus occidentem primo occurrit sinus five Fretum *Paritæ* five *Paris*, ad quod *Nata* oppidulum jacet: Dein cornu five promon-torium *Chamæ*, ubi *Regulus Chiapes* rerum potiebatur, quum *Balboa* primum hoc mare lustraret. Ad ortum vero ab eodem oppido primo occurrit fluvius *Coquira*

sive *Chepo*, dein fluvius *Ratium* sive *de las balsas*: Atque hinc ora sese flectente versus Austrum, occurrit Fretum *S. Michaëlis*, in cuius intimum sinum fluvius *de Congos* sese exonerat. Fretum autem hoc valde fluctuosum est, multis insulis, crebris vadis, scopulis, brevibus impeditum, ita ut ingentes interdum fluctus tollat, & quidem potissimum mensibus Septemb. Octob. Novemb. & Decemb. valide concitatur, neque tum sine discrimine aditur, ut Hispani aliquoties cum suo damno sunt experti: Latus hujus australe claudit promontorium *de Pinnas* & pone illud aditur portus ejusdem nominis: quem quinquaginta leucas ab oppido *Panama* abesse scribit *Herrera*: Vingtia autem per transversum ab Urabæ freto: neque enim major esse dicitur hic Continentis latitudo. Omnis autem hæc Regio montibus & scopulis aspera est & longe maxima anni parte continuo perpetitur gravissimos nimbos non tantum in terra sed & in vicino mari, decem atque adeo viginti à Continenti leucis. Solum denique tam densis sylvis passim obsitum est, ut pene invium hominibus judecetur.

Haud longe hinc amnis in Oceanum devolvitur, quem barbari appellabant *Beru*, à quo Peruviæ nomen quæsitum autumant: abest autem *Pinnarum* portus ab Äquatore sex gradibus & quindecim scrupulis, ut prodit *Herrera*.

Ab hoc portu ad alterum quem vocant *Quemado* viginti & quinque numerantur leucæ, quinque gradibus ab Äquatore versus Arctum: à quo denique ad Promontorium quod vocant *de Corientes* paucæ supersunt leucæ. Ignobilis hæc est ora & densissimis nemoribus *Manglarium* ad ipsum littus vestita, perpetuis nimbis & fulguribus obnoxia & multorum Hispanorum exitio infamis; nam *Pizarrus* prima in Peruviam expeditione, multos suorum partim morbis, partim inedia, aliisque incommodis hic amisit, & animum haud dubio despondisset, nisi divitiarum immodicus appetitus, nihil non agere & perpeti illum perpulisset.

### C A P. XI.

*Insulae aliquot quæ præfectura Panamensi adjacent & præsertim illæ  
quæ ab unionibus nomen & famam meruerunt.*

30

**P**RÆFECTURA Panamensis aliquot Insulas habet objectas in utroque mari, quarum quidem obiter superiori capite meminimus, hic autem paulo plenius eas sumus descripturi. In mari quidem Septentrionali objacent illi, primum *Captivæ* insulæ *Captivæ* ut vocant, humiles & æquori pene æquales, arenoso littore, interius densis arborum lucis vestitæ, in ambitu scopulis & vadorum brevibus contaminatae, itaque cavendæ aut cautè admodum adeundæ. Deinde haud procul ab istis obversantur continentis *Insulæ Comagre*, non minus ob humilitatem navigantibus insidiosæ. Ab his versus Eurum haud longo intervallo distat *Insula Pinorum*, alto solo & ambitu pene orbiculari, tam exiguo spacio à Continente discreta, ut eminus ex Alto 40 prospicientibus pars illius esse videatur, neque antequam propius accesseris, dignoscatur. Plures aliae minores hic sparsæ: de quibus non est operæ præcium verba facere, neque superiorum sane meminisse, nisi iis qui à Cartagena Portum Belum pertinent, soleme esset ad aliquam harum cursum instituere, & secundum earum conspectum, itineris sui rationes aut sequi aut mutare.

**T**aboga. In mari Australi ad hanc præfecturam pertinent: *Taboga* insula, quinque ab oppido *Panama* leucis; & duodecim ab hac *Insula Unionum* vulgo *de las Perlas*, quæ à copia Unionum, quæ olim in vicino Oceano fuerunt inventæ nomen meruerunt: sunt autem duæ quidem paulo majores, quarum una *del Rio*, altera *Tararequi* vulgo appellantur, & viginti aut plures aliae minores, & magis scopuli quam Insulæ: Quot 50 gradibus ab Äquatore distent, non satis convenit inter Hispanos scriptores, & *Herrera* prodit inter se dissentanea: *Petrus de Cieca* in Peruviæ Chronico, octo gradibus ab Äquatore ditimit versus Arctum: *Gomara* promovet Tararequi ad quintum gradum ab Äquatore. In hisce Insulis olim magna fuit ferarum copia, præsertim cervorum, cuniculorum & similium; nec ulla tellus benignius incolis suis Mayzium & Yucam in cibum & potum sufficiebat: major imprimis *Insula omnigenis* abundabat fructibus:

fructibus: vicinoque mari multimodam optimorum piscium copiam large subministrante, nihil h̄ic ad victum necessarium deerat; inter arbores autem quas tellus sponte nutriebat, quædam erant odoriferæ; quæ res primis illis temporibus, non nullis imposuit, qui aromatiferas insulas haud longe hinc abesse suspiciati sunt, quia hæ insulæ tam gratum odorem de se spargebant. Nihil porro has Insulas ita commendavit, quam unionum quas vicinum mare ferebat, magnitudo atque perfectio; nam quum *Margarita* atque *Cubagua*, plerumque uniones daret, quarum maximæ octo ceratia penderent, quæ & raro rotundæ & sine vitio nascerentur, h̄ic nonnumquam inventæ quæ xxvii atque adeo xxxi caratia penderent, tam rotundæ, 10 quam ovales aut pyri forma, & quod mirabile, tanta formæ perfectione atque splendoris elegantia ut omnes meritò in admirationem raperent. Porro hæ insulæ olim fuerunt frequentissimæ: Indigenæ quippe natandi atque urinandi admodum pertiti, quum placidum staret mare, lintribus suis ad unionum capturam exibant, earumque conchas à petris magno labore & discrimine avellebant; arcte enim sibi invicem & firmiter petris solent adhærere: & majores in profundiori mari reperiuntur, & ad minimum decem orgyas alto: nam & ipsi unionibus delectabantur, licet & eximendi è conchis industria & perforandi scientia destituerentur, quo siebat ut eas plerumque corrumperent & candorem illum nativum atque splendorem quo maxime commendantur, detererent. Hodie autem Indigenæ illi ad unum omnes 20 interierunt, qui hodie has insulas possident, Nigritis aut Nicaraganis servitiis utuntur, tum ad agros colendos tum ad pecora pascenda; qui nunc unicus illorum est quæstus, postquam Hispanorum aviditas nullas margaritiferas conchas h̄ic reliquas fecit. *Richardus Hawkinus* Anglus unam harum insularum appellat *Pachetam*, *Pacheta*. exiguo freto à Continente disjunctam, à Panama versus Austrum leucas octo aut decem: quæ rotunda sit atque edita, sed non supra leucam ambitu complexa; fœcundissima tamen, ita ut Domini sui industria atque labori benignissimè respondeat, qui magnam fructuum copiam, insigni emolumento, Panamam venum traducit.

## C A P . XII.

30

*Expeditione Joannis Oxenhami Angli in mare Meridionale per provinciam Panamensem, imprimis memorabilis.*

**A**NTEQUAM descriptioni Præfecturæ Panamensis finem imponam, nequaquam prætereundam puto memorabilem Angli cuiusdam expeditionē, quam *Lupus Vazius* in hunc modum descriptis: *Ioannes Oxenhamus* Anglus (inquit) expeditionis *Francisci Draci* anno cIō Iō LXXII & opulentissimæ prædæ quam naëtus fuerat, fama excitatus, idem aggredi constituit: Itaque parata circiter centum & vi-ginti doliorum navi, septuaginta navales socios eidem imposuit, & prospera naviga-tione usus ad Septentrionalem Præfecturæ Panamensis plagam applicuit; postquam autem cum Nigritis qui illas partes incolebant, contulisset & omnem auti atque argenti gazam à Panama ad mare Septentrionale à militibus conduci intelligeret, tale quid aggreditur, quale nemo ante ipsum tentare fuerat ausus; nam exscensione cum suis facta, ubi *Dracus* superioribus annis exscenderat, primò navem subduxit & in vado constituit, dein majoribus tormentis in terram expositis & viridi cespite testis, annonam omnem atque apparatum bellicum è navi exhausit, vacuamque, qua potuit, arboribus studiose texit: Tum cum omnibus suis duabus campestribus machinis, largo commeatu, aliisque rebus necessariis, intra continentem movit, *Simarobus* viam commonstrantibus: porro duodecim leucarum itinere absoluto, ad flu-vium pervenit, qui in mare australe sese exonerat: atque hic materie opportune cæsa, liburnicam fabricavit, quadraginta quinque pedes longam; & secundo flumine in mare Australe devectus, ab eisdem Nigritis ad unam Insularum *de las Perlas* est de-ductus; quumque ibidem decem dies in insidiis latuisset, celocem è Peruvia venientem nullo negotio cepit, in qua sexaginta millia aureorum invenit, præter magnam vini & farinæ copiam; & mox alteram quæ è Limano portu solverat, quæ argenti massas ferebat pretio centum mill. pezorum; denique auro omni atque argento in lyburni-

lyburnicam suam accepto, postquam aliquandiu unionibus ab Insulanis extorquendis vacasset, ad flumen quod descenderat remeare institit, & haud longe ab ostio illius, celoces illas, quas ceperat, dimisit, magno certe errore, uti postea patuit. Nigritæ enim qui Insulam incolunt, statim post Anglorum discessum uniligneis suis lintribus Panamam contenderunt, & præfectum, eorum quæ gesta fuerant, fecerunt certiorem. Ille autem, absque mora, quatuor liburnicas intra biduum instruxit, eisque centum milites imposuit & idoneum Nigritarum numerum ad remigium faciendum: cum quibus *Ioannes de Ortega* tribunus militum, ad insulas unionum profectus, ut de Anglorum itinere certiora indagaret, dudum frustra fuit, donec in celoces ab Anglis dimissas incidit; à nautis itaque edoctus Anglos cum liburnica sua 10 flumen ingressos, quantocius cursum eodem convertit; ubi autem ad flumen est perventum, non minus hæsitarunt, nam quum tribus ostiis in Oceanum descendat, quod potissimum subirent aliquandiu deliberarunt, sed & hic Anglorum imprudenteria ambiguitatem omnem ipsis exemit, plumis, quas gallinis detraxerant, minimum fluvii alveum descendantibus: hunc itaque ingressi, quarto demum die liburnicam Anglorum in liceo destitutam invenerunt, omnibus rebus jam exhaustam, præterquam annona, & à sex tantummodo custoditam, quorum unus statim ab Hispanis cæsus, reliqui fuga se subduxerunt. Dein *Ortega* militibus octuaginta in terram expositis, ad interiora contendit, non ante quiescere certus, quam prædam tam opulentam recuperasset: vix dimidiā leucam à ripa profectus, tuguriolum ramis arborum contextum invenit, in quo Anglus gazam omnem absconderat, quam tam inopinato successu latus quantocius ad liburnicas suas reduxit, nihil ultra de Anglis persequendis sollicitus. Veruntamen Anglorum dux, à militibus suis, qui effugerant, de adventu Hispanorum certior factus, quam oxyssime cum omnibus suis & ducentis Nigritis ad Hispanos contendit, atque in eos præferociter fecit impetum: qui vicino nemore recti atque defensi, Anglos fuderunt, undecim illorum cæsis & quinque captis. Ex hisce captivis demum cognitum, cur Anglus hic tam longam moram fecisset cum tanta præda; male namque ipsi cum suis comitibus convenisse, qui statim prædam dividi & unumquemque suam partem accipere importune flagitaverant & alia conditione gazam ad navem bajulare pertinaciter detrectaverant, ideoque in 30 Oxenham mediterranea ipsum profectū fuisse ut Nigritas conduceret qui onus subirent. Ab iisdem & propalatum, ubi navem suam abscondisset. Hispani *Panamam* reversi rem omnem prout gesta erat edisserunt, præfectus autem ad Legatum suum in oppido *Nombre de Dios* dat litteras, eumque rerum omnium facit certiorem, qui cum quatuor navibus ad *Urabæ* fretum proiectus, navem & tormenta Anglorum nullo negotio intercepit. Reliqui Angli per nemora & montana diu vagati, quum jam in eo essent ut cymbas aliquot fabricarent, quibus navem aliquam in Oceano Septentrionali caperent, atque ita in patriam reverterentur; à centum quinquaginta militibus, quos *Petuviax Prorex* ad ipsos indagandos miserat, sunt oppressi & captivi Panamam deducti, paucisque adolescentulis exceptis, quibus propter ætatem parcitum fuit, 40 omnes supremo supplicio affecti. Hunc exitum habuit facinus audax & imprimis memorabile, partim ducis imprudentia an avaritia, partim navalium socrorum inobedientia & importuna tam alieno loco & tempore discordia.

## CARTAGENA.

## Cap. XIII.

*Præfecturæ Cartaginensis limites, cœli solique qualitates,  
variae provincie.*

50

**P**RÆFECTURÆ & provinciæ *Panamensi* ad orientem proxima est *Cartaginensis*, quæ nomen à Metropoli sua accepit: Sita autem est ad Oceanum Septentrionalem: patetque in longitudinem quidem inter ortum & occasum à magno flumine *Magdalena* ad fretum *Vrabe* & flumen *Darienis* leucas octuaginta, in latitudinem autem pene totidem, inter arctum atque meridiem, ab Oceano nimirum

rum Septentrionali ad extremos limites Novi Regni ut vocant Granatensis; quam non desint qui majorem illi latitudinem tribuant, itinerum rationem sequentes. Solum ut plurimum editum, quodque partim in altos montes & colles assurgat, partim in humiles valles subsidat, multis silvis atque lucis passim opacum: Agri præ nimia pluviarum copia fere humili aut uliginosi, ita ut semina Europæa maligne tollerent, neque triticum satis feliciter maturerent. In montanis hujus præfecturæ multæ & diversæ resinarum gummique species reperiuntur, quarum nonnullæ gratissimum & aromaticum odorem spirant: multi præstantissimi liquores & balsama imprimis singularis tum odoris tum virtutis; quæ aut arbores sponte fundunt aut indigenæ singulare industria extrahunt: piperis quoque oblongi quoddam genus hîc provenit, longe majori acrimonia præditum quam orientale, & odore longe fragrantior & sapore meliori quam vulgare piper Brasiliense sive Capsicum: Altæ cùjusdam plantæ fructus est (inquit Monardes) crassitudine quidem funiculi, at dimidii pedis longitudine, multis veluti granulis constans, circa pediculum oblongum continuo & conjuncto ordine dispositis, plantaginis seminis modo; recens viridis est, sole maturescit atque nigrescit: Calidum est tertio gradu. Videantur ea quæ supra diximus in descriptione Novæ Hispaniæ. Solum caret auri venis, præter. l.v.c.17. quam paucis in locis. Multæ hîc feræ, præsertim tigres, serpentesque & alia noxia atque hominibus juxta & pecoribus infesta animantia. Indigenæ ferocissimi erant & imprimis bello strenui, quare & Hispanis sâpe clades intulerunt, præsertim venenatis illis sagittis, quibus utebantur; sed pene ad internacionem jam dudum ab Hispanis deleti sunt, ita ut paucissimi admodum hodie supersint.

Sub præfectura autem Cartaginensi complures provinciæ comprehenduntur, suis limitibus & nominibus distinctæ; ad occidentem quidem ab oppido Cartaginis, *Vraba*, cuius jam supra obiter meminimus, utpote *Darieni* conterminæ: hæc provincia, ut Petrus de Cieca testatur, admodum est fertilis & annona omnibusque ad vitam humanam necessariis abundans, quippe cuius sylvæ abundè ferinam, flumina & vicinum mare piscium optimorum copiam subministrent. Huic vicini sunt *Abibe* Abibe. montes, quorum altissima & continua pene juga (*Cordilleram* vulgo vocant Hispani) ad occidentem vergunt; longitudo illorum ignota, latitudo nonnullis locis vingt leucas occupat, aliis etiam plures, quibusdam vero pauciores: calles habet perasperos & equis pene inaccessos: in montium jugis nulli penitus mortales degunt; sed in vallibus, quæ plurimæ & patentissimæ, olim immensa barbarorum multitudo incolebat, qui multo auro erant opulent, quod è torrentibus & amniculis, qui de montibus ad occidentem se devolvunt, colligebant. Maximam anni partem in hisce montibus pluit, arboreisque tam largas guttas in terram subjectam destillant, ut graminis proventum impedian, & pabulum equis negent: ob eandem causam hîc iter permolestum est, & penitus haud dubio invium esset, nisi hîc arbores quædam passim reperirentur, fagis nostratis haud absimiles, materie autem molli, sponsa giosa & sicca, quæque facile ignem potest concipere, ita ut iter hac agentes focum nullo negotio instruant. Trans montes hosce versus austrum provincia *Tatabe* jacet, Tatabe. olim ditissimis & bellicosissimis barbaris plena, qui ad mare usque australe regionem omnem compleverant. Ad eandem plagam provincia sita est quam vocant *del Guaca*, triginta leucis ab *Antiochia*, de qua postea dicemus.

Porro ut proprius ad Oceanum Septentrionalem revertamur, ad occidentem à Civitate *Cartaginis*, in finibus *Vraba*, sita est provincia *Zenu*, cœli solique qualitatibus ab *Vraba* non multum diversa: hæc olim vicinarum gentium veluti cœmiterium fuit, quippe ad quam etiam nationes longè dissitæ, suorum cadavera deportare consueverant, ibidemque cum omni sua gaza & monilibus, aliisque rebus pretiosis recondere, quare Hispani primis illis temporibus, multum auri, aliaque magni pretii ex ejusmodi monumentis abduxerunt. Ad ortum denique ab urbe, vallis *Zamba* sita est: & denique provincia *Mopox*, de qua mox agemus.

*Metropolis huius præfecturæ Cartago, vulgo Cartagena Hispanis.*

**C**artago hujus præfecturæ metropolis nomen accepit à *Cartagine nova* in Hispania, ob summam similitudinem quæ deprehenditur inter utriusque urbis portus; sita est ad Oceanum Septentrionalem decem gradibus ab Äquatore versus Arctum & septuaginta duobus gradibus à Meridiano Toletano versus occidentem, ut ab *Herrera* annotatum; in peninsula, super latam planiciem, quæ ad arctum quidem, plano & arenoso littore ad oceanum pertingit, qui hic vadosior & orā est leniter declivi; ad austrum vero & versus continentem palude sive cœnoso stagno clauditur, *Canapote* appellant vulgo, quod eodem quo mare fluxu atque refluxu æstuat: ab oppido ad vicinam continentem transitur per callem silicibus stratum & ducentos quinquaginta passus longum, sub quo duo sunt arcus, qui fluctus admittunt in stagnum iterumque regurgitant. Solum oppidi arenosum est, & puteis ad duas orgyas in profundum actis hīc dulces latices hauriuntur. Licet autem ob crassos vapores atque exhalationes quæ è vicinis paludibus & stagnis ascendunt, locus insalubrior sit, tamen multo salubrior est quam *Nombre de Dios*, & pro conditione harum regionum Americanarum, quæ ad hoc mare jacent, aliquo modo salubris potest judicari. Oppidum affabre strūctum est, habetque primum plateas quinque, quæ à portu sive occidentali plaga continuo ductu, ad oppositum & ipsum pene oceani littus pertingunt, singulæ pene sexcentos passus longæ & elegantissimis ædificiis utrimque, cum suis hortis atque areis instruetæ; dein & aliam plateam, quæ totum oppidum secundum latitudinem & dictas plateas per transversum dividit, incipiens ab ipso Oceano, & ad sinum illum sive stagnum pertingens, duplo pene longior quam præcedentes. In oppido hæc sunt publica ædificia; primum Templum Cathedrale, cuius Episcopus suffraganeus est Metropolitani Novi regni Granatensis; deinde Curia, Teloneum regium, aliaque hujuscemodi; denique monasteria aliquot Dominicanorum & Franciscanorum: *Herrera* scribit hīc supra quingentas familias Hispanorum numerari, & magnum numerum mercatorum & advenarum.. Portus hujus oppidi, inter optimos totius novi orbis, facile primum sibi vindicat locum, licet majora navigia paulo longius ab oppido in anchoris consistere cogantur: aditum illius concludit insula, qualis illa quæ Cartaginis novæ portu objacet, quam Hispani hodie *Escombreram* vocant, sed aliquanto major, quæ olim *Codega* dicebatur, hodie vero *Carex*, duas leucas in longitudinem, vix dimidiā in latitudinem patens, Dulcium aquarum inops, & tantum piscatorum quondam habitatio. Quum *Franciscus Dracus* hoc oppidum caperet, ut statim dicemus, puteum in hac insula offendit aquationi peropportunum; insulam autem præcipue commendat ab amoenitate, quippe quæ pene tota fructiferis arboribus consita sit, aurantiis malis aliisque similibus, tam concinno ordine dispositis & per varia ambulacra digestis, ut elegantissimi viridarii formam exprimat. Conditum fuit hoc oppidum anno *c. 1532* à *Petro Heredia*, qui magno labore atque industria vicinos barbaros subjugavit, erant enim indigenæ hujus provinciæ bellicosissimi & impavidi, tantaque ferocia tam mares quam foeminæ in prælia ruebant, ut unam adolescentulam vix decimum octavum annum egressam, octo Hispanos venenatis suis sagittis confecisse, antequam deficeret, ab Hispanis memoræ proditum invenerim.. Oppidum denique mirificè crevit, ejusque cives ad summam opulentiam pervenerunt, commerciorum opportunitate, nam quotannis hīc & maxima omnimodarum mercium copia ex Hispaniis appellit, & classis regia quæ *Nombre de Dios* petit, hic nonnumquam solet hybernare; imprimis autem omnis gaza, aliæque merces è novo regno Granatensi, per magnum flumen Magdalena huc solent conduci. Urbs denique anno *c. 1545* ab Anglis duce *Francisco Draco* capta est; nam licet pene integrum mensem ante illius adventum, de consilio illius certiores fuissent facti, omniaque ad defensionem comparassent, vallo locis maxime debilibus ducto, majoribusque tormentis adversus angustum aditum dispositis, & præsidiorum numero adaucto; tamen ille qua erat animi magnitudine, non magno negotio illam expu-

expugnavit atque diripuit : & parte aliqua urbis incendiis deformata , reliquam civibus centum & viginti millium ducatorum pretio redemptam restituit . Præda pro fama oppidi haud ita opulenta fuit , quia oppidani jam dudum quicquid habebant pretiosi , ad vicina loca & montana subduxerant , & imprimis ad Tolu oppidum , quod interius jacet .

## C A P . X V .

*Plenior Cartaginensis oppidi , Portusque descriptio per Joān.*

Bapt. Antonellum.

10

**S**UPERIOR E capite , *Herreram* potissimum sequuti , Urbem Cartaginem & illius portum compendio descripsimus , nunc quum eandem luculentius ab Antonello descriptam invenerimus , operæ pretium putavimus , quæ ille anno cœl. I<sup>o</sup> lxxxvii ad Regem Hispaniarum perscripsit , verbo tenuis hic inse- rere . *Cartagena* (inquit) urbs est & quidem Metropolis illius Episcopatus , quadra- ginta leucis ab oppido *S. Marthæ* versus occidentem & decem gradibus ab Æquatore versus Arctum sita in arenosa peninsula ; familias habet circiter quadrageantas & quin- quaginta , ædificia præclara & pleraque è lapidibus substructa ; tria hīc sunt monaste- 20 ria ; quorum duo sita sunt intra urbis ambitum , tertium extra , quod per callem sili- cibus stratum aditur , qui utrumque à flutibus pulsatur : commercia hic supra mo- dum vigent , ex Hispania , novo regno Granatensi , Peruvia , Insulis , & omni con- tinentis illius ora quam vulgo *Terram Firmam* vocant ; locus denique salubris est . Portum habet optimum & multarum navium capacem ; duo omnino ad illum aditus patent ; unus dimidia circiter ab oppido leucâ , nongentos passus latus & valde altus , quem pleræque naves subire solent ; alter leucæ intervallo à priore disjunctus versus occidentem , quem *la Boca Chica* , id est , parvum os vocant , non- gentos quidem passus latus , sed navigabilis illius alveus vix ducentos passus patet & quindecim aut viginti orgyas est altus , interdum & pauciores , quem tamen 30 qui hāc in portum penetrare volunt , sequi necessarium est ; oram autem utrumque varii recessus laciniant : hoc autem alveo superato , & jam portum ingressu is ora Insulæ *Carex* radenda est , multique scopuli & vadorum brevia provide vitanda , quæ flutibus vix duos tresve palmos altis integuntur ; ita ut non tantum peritissi- 40 mo nauclero hic opus sit , sed & scapha præmittenda , quæ bolide altitudinem ca- nalis periclitetur .

Tria porro sunt loca , per quæ hāc urbs terrâ adiri & ab hostibus oppugnari po- test . Primus est , quâ *Franciscus Dracus* illam agressus cepit , qui est sinus sive dorsum arenosum ab una quidem parte Oceanum habens , ab altera autem magnum la- cum , qui ad portum tendit : dorsum quidem hoc , ab uno latere latum est passus 50 quingentos , arenoso solo & arboribus nudo ; ita ut hostis ab hac parte aggressurus hos quingentos passus prorsus intectus cogatur incedere , ad vallum usque , eoque superato alios quingentos passus eodem prorsus modo ad oppidum : hoc dorsum centum & triginta unum passus latum est , ubi vallum tum duxerant oppidani ; ab hac parte oppidum jam bis ab hostibus captum fuit , itaque hic maximum nume- rum palorum in profundum adegitus , spatio quinquaginta passuum ; idque ea de causa , quia hoc littus periculosest & crebris vadorum brevibus contaminatum ; & in convalle exiguum arcem sumus moliti , ubi tria quatuorve majora tormenta constitui possunt ; & amplam fossam egeri , quæ utrumque respondet ad mare , ita ut oppidum ab hac parte jam satis munitum videatur . Alter aditus paulo est infra su- 60 periorem , & ad idem dorsum arenosum , appellaturque vulgo *la Cienaga* aut sta- gnatum *del Roreado* : hīc autem dorsum hoc latum est passus trecentos ad littus usque maris ; ab altera parte palus jacet , vulgo *la Cienaga* , omnibus anni mensibus flu- tibus cooperata , ita ut hostis hāc urbem aggressurus , iter cogatur agere per dorsum arenosum , cui ab una quidem parte mare , ab altera sylvula imminet , & denique per campum irriguum quidem , sed non omnino ab aquis tectum : hīc itaque muni- mentum jam construximus , cum suis propugnaculis , & fossam sexaginta pedes 70 latam

latam effodimus, ita ut marini fluctus jam ad campum hunc riguum perveniant: atque ita etiam hunc aditum obstruximus, ut oppidum jam velut in insula situm sit; duo millia & sexaginta pass. sunt inter hunc locum & alterum illum ad quem *Dracus* exscensionem fecerat. Portus autem ostium est juxta callem silicibus stratum & pontem qui ad monasterium *S. Francisci* dicit; callis autem hic trecentos passus est longus, duodecim latus & pulsatur utrinque ab undis, ita ut tertius hic locus omnium munitissimus sit, hic pontem subductilem fieri curavimus & munimentum desuper, in quo aliquot tormenta disponi possunt, & ab utroque latere vallum duci, pone quod Sclopetarii latere & tuto hostem propellere possunt. Ad cornu terræ, quod aditum sive ostium portus attingit versus Cœnobium *S. Anne*,<sup>10</sup> quodque *Tacos* vulgo appellatur, munimentum quadratum fabricari jussimus è lignis, cuius singula latera trecentos passus longa sunt: post ligna autem vallum ductum est è terra quatuor pedes latum & arena à tergo suffultum, ubi & quindecim aut sedecim tormenta collocari & quinquaginta milites in præsidio esse possunt. Id munimentum securitati portus imprimis consulet, etenim omnes naves quæ portum intrant tam prope ad hoc cornu accedunt, ut lapidem in illas manu jacere haud difficile sit: quod si nihilo feci hostes portum ingredi moliantur, utrique triremi mandabitur, ut se juxta munimentum, prora ad oceanum versa, constituant, atque ita ipsæ directe hostiles naves feriant dum munimentum per transversum easdem quatit; futurum est enim ut hostiles naves undique quassatae aut cursum sustinere<sup>20</sup> cogantur, aut in cæcos scopulos, quos *Ismo* vulgo vocant, impingere, vel etiam vadis, quæ ab insula *Carex* descendunt, cum summo discrimine hærere. Quod si vero hostis hoc ostium prætervectus, cum suis celocibus aut oblongis scaphis per angustius os ingredi conetur, quatuor liburnicas paratas habere convenit, quæ remulco triremes ad angustiorem canalem quam celerrime promoveant; nam præterquam quod propter brevia & scopulos hic aditus admodum periculosus sit, nullo pene negotio hisce subsidiis hostiles scaphæ atque adeo naves deprimuntur. Et ut portus securitati porro melius consulatur, ad cornu hoc *Tacos* munitissimum castellum cum quatuor propugnaculis struere necesse erit; super insulam autem *Carex*, quæ è regione sita est, ad orientalem illius plagam, turrim quadratam excitare, eique<sup>30</sup> quatuor aut quinque tormenta imponere, ut hoc pacto etiam minora navigia à portu arceantur, quæ alioqui clam noctu irrepere & aut prædas agere, aut classem nostram in anchoris stantem possent incendere, sed si præsidarii utriusque hujus castelli sollicitate excubias agant, nulla hic navis aut cymba non visa ingredi poterit. Ad angustum autem portus aditum similiter exiguum castellum, super eandem insulam, qua occidentem spectat, excitandum esset & tria quatuorve tormenta collocanda, atque sex octo præsidarii constituendi, qui excubias agant. Hisce omnibus ad hunc modum absolutis, oppidum hoc egregie munitum erit; interest autem Majestatis Tuæ ut hæc ita fiant, nam hic locus haud dubio firmissimum est totius regionis præsidium & veluti antemulare. Hæc ille.<sup>40</sup>

Qui urbem hanc nuperrime viderunt, illam nobis hoc modo descripsérunt. Emporium esse totius Americæ Meridionalis longe nobilissimum & frequentissimum; habitari enim à quatuor millibus Hispanorum, & quatuordecim circiter millibus Nigrarum utriusque sexus & ætatis: Urbem in ambitu cinctam esse muro octodecim pedes alto ab ipso solo, cum suis propugnaculis, & vallo intra murum terreno: propugnacula habet duo juxta portam, qua exitur versus cornu terræ quod vocant *de Canoa*, duo item sed minora juxta portam quæ dicit ad suburbium; bina majora supra portum; duo denique ad littus & viam quæ dicit ad arces, quæ portus faucibus imminent, quorum propugnaculorum longe maximum est, quod Arctum aspicit, ubi ipsum vallum à marinis fluctibus pulsatur. In propugnaculis & vallo, circiter<sup>50</sup> septuaginta tormenta majora maximam partem ænea sunt disposita. Suburbium situm est supra arenosum puluillum, *Xexemani* vocant, ad quod ab oppido aditum per angustum tramitem, & per portam cum ponte subductili; ab eodem suburbio transitur ad Continentem per angustum itidem tramitem; ita ut suburbium in peninsula jaceat; quemadmodum & ipsa urbs, à qua ad Continentem angustus trames pertinet, habens ab una parte Oceanum, ab altera paludem vulgo *Cienaga* & mediterraneum fretum

fretum *Canapoten*, per hunc tramitem ceperunt Angli urbem, itaque hic jam fossa est egesta, est urbs valide duobus propugnaculis & muro præcincta: hic trames pertinet ad aquilonem: ab eadem urbe & alter trames pertinet versus Africum, qui exordio suo humilior ita ut à fluctibus interdum diluatur, & angustior habens ab una parte Oceanum, ab altera interiore portum, denique manglaribus interiori sui parte obsitus. Ad portum ex alto aditum per duo ostia, quorum prius & urbi vicinus vocatur *Boca grande*, ad cuius cornu quod occidentem aspicit, amplissima arx fuit, sed quia arenæ erat inædificata sæpeque ruinam minabatur, anno demum c<sup>l</sup>o l<sup>c</sup>xxviii fuit destrœcta. E regione & ad orientale Insulæ cuius supra memini cor-  
10 nu minor arx jacet petræ superstructa, ita ut æstu accedente fluctibus ambiatur, habens duodecim tormenta majora & quindecim aut sedecim præfidiarios. Insula hæc quæ utrumque ostium dividit, vocatur *de Nave*, edita, & circiter sesquimiliare longa. Angulus illius Occidentalis vocatur *Punta de Icacos*, à quo in altum se projicit vadum imprimis navigantibus insidiosum, ad duo pene milliaria; *Salmedinam* appellant. Porro circiter duo milliaria intra prius ostium grandiorum navium statio habetur, è cuius regione versus Arctum arx visitur quadrata, lateribus c<sup>l</sup> pedes longis; muro alto cincta; & vallo interius terreno, in quo octodecim tormenta disposita sed minora; præfidiarii viginti quinque aut paulo plures. Ab hac versus urbem & Aquilonem tendentibus haud longo intervallo, portus angustatur;  
20 ubi ad continentem super arenosum clivum exigua & orbicularis arx condita est, quam vocant *Fuerte Silla à forma*; Ab hac arce versus urbem & suburbium portus haud supra tres palmos multis locis est altus. Urbs dulcium laticum indiga est; itaque illos petere necesse est à monte qui stationi majorum navium adjacet versus ortum, & *Monte de Popa* sive *de Galera* nominatur; ubi monasterium monialium vis-  
sunt; quod vocant *Madre de Dios de la Popa*.

## C A P . X V .

*Relique urbes & municipia hujus Præfecturæ.*

**I**N præfecturâ præterea Cartaginensi minora aliquot oppida ab Hispanis habitantur, quorum unum vocatur *Tolu*, *S. Iacobi* nomini dedicatum, duodecim à metropoli leucis versus Africum, terrestri quidem itinere admodum difficulti & ob montes crebrasque paludes & uliginosa loca pene invio: sex ab oceano leucis, in regione salubri & pascuo solo, nec minus frugum fœcundo; denique omnium planitarum Hispaniensium atque fructuum feraci.

Ab hoc loco præstantissimum illud balsamum, (quod vocant *de Tolu*) Europæ importatur, quod à *Monarde* in Historia simplicium medicamentorum ita describitur: Nunc recens advehitur ex Continentis quadam provincia inter *Cartaginem* & Cap. x. *Nomen Dei* sita, *Tolu* ab Indis appellata, Balsami quidam liquor, maximarum virium, præstantissimumque, quod hactenus ex iis regionibus allatum sit, medicamentum. Arbores è quibus colligitur, pumilis pinis sunt similes, multos ramos quaquaversum spargentes, foliaque Ceratiæ similia obtinentes perpetuò virentia: præferuntur domesticæ & in cultis natæ. Colligunt vero hunc liquorem Indi vulnerato & inciso arborum cortice, qui tenuis & tenellus est, suppositisque & arbori adnexis veluti quibusdam cochlearibus è cerâ nigra, in illis regionibus nata, confectis, quæ manantem è vulneribus liquorem excipiant, quem deinde in vascula ad eam rem parata effundunt: id vero ferventissimo sole fieri necesse est, ut liquor facilis emânet; nam noctu ob frigiditatem nihil effluit, erumpit etiam interdum ex ipsis arboris nodis & alis nonnihil liquoris, qui cum exiguus sit & in solum decidat, perit. Porro apes quæ ceram istam conficiunt, nigræ sunt, eamque in terræ hiaticibus & cavernis subterraneis elaborant: ceræ fumus tetrum spirat odorem; pertutlia tamen ex ipsa fiunt cerata ad mitigandos dolores ex quavis causa frigida provenientes. Cæterum balsamæus hic liquor, colore rubro est ad aureum tendente mediæ inter liquidum & densum consistentiæ, glutinosus admodum & ubicunque reponatur firmiter adhærens, sapore dulci & grato nec si sumatur nauicam movente, odore excel-  
30 lentif-

lentissimo & limonum fragrantiam quodammodo referente, ita ut ubicunque reponatur, celari non possit. Ejus facultates insignes sunt, quia incisione elicetur, quemadmodum olim Balsamum in Ægypto, ad eadem omnia ad quæ illud celebrabatur, efficax. Curat enim omnia recentia vulnera; consolidat glutinatque labra, nec materiam purulentam in iis sinit exortiri; quodque majus est, nullum cicatricis vestigium curatis vulneribus relinquunt, si illorum labra probe juncta fuerint; quapropter in faciei vulneribus singulare est, quandoquidem ea sine purulentæ materia generatione curat, nec vestigium ullum relinquunt, &c. Præsertim vero utile est in vulneribus, in quibus confracta sint ossa, exemptis prius fragmentis quæ separata sunt, & reliquis intactis, nam Balsami facultas ea expellet, vulnusque sensim consolidabit. Miræ etiam virtutis est in articulorum vulneribus & nervorum sectionibus, omnibusque puncturis, nam curat eas, liberatque à contractione ne partes inutiles fiant & motu priventur. Denique utile est in omnibus quæ Chirurgi manum requirunt, modò nulla adsit insignis inflammatio: ea tamen convenientibus remedii sublatâ, Balsami est usus. Aliquot illius guttæ ex vino albo haustæ plurimum juvant in Asthmate: Capitis dolorem è frigida causa prognatum lenit lineus pannus ejus liquore tinctus capiti circumligatus: temporibus appositum cohibet omnem defluxionem, præsertim in oculos; eorumque dolores levat: præcalidum cerebro impositum, tollit dolorem, roborat, & paralysi est remedio. Usi sunt eo nonnulli phtisici mane aliquot guttas è manu lambendo; magnumque senserunt commodum quia purgat egregiè pectus. Longâ experientiâ apud Indos probatum est, eos qui Hydropicorum in morem tument, si hoc balsamo æquis partibus cum unguento aperitivo mixto, ventrem illinant, lienis præsertim regionem, magnum sentire levamen; resolvit enim quosvis tumores & ædemata cujusque partis corporis: tollitque emplastri modo applicatum, omnes dolores à frigida causa promanantes, etiam diurnos. Hæc, & plura ille.

Alterum oppidum appellatur ab Hispanis *la Villa de Maria* triginta duabus leucis à Cartagine versus austrum.

Tertium *Santa Crux de Mopox* septuaginta leuc. ab oppido Cartaginis; ab Anio-<sup>30</sup>chia autem Præfecturæ Popajanæ oppido centum & viginti (ut Petrus de Cieca testatur:) A Cartagine ad hoc oppidum tendentibus iter est, primùm mari, deinde adverso flumine Magdalenæ, ad cuius ripam sedet, & à cuius undis fere totum cingitur; cæterum locus valetudine incolarum infamis est, ob paludes & stagna, quibus fere undiquaque circumdatur, alioquin commerciis quæ in ingenti hoc flumine & vicinis regionibus maximo lucro exercentur, opportunissimus.

*Baranca de Malambo*, ut Hispani vocant, tantum Teloneum est ad hujus præfecturam pertinens, situm ad ripam fluminis Magdalenæ, triginta ab urbe *Cartagine* leucis, viginti ab oppido *S. Marthæ*, sex denique ab Oceano Septentrionali; hic omnes merces Europeæ, aliæque è majoribus naviis exponuntur & uniligneis 40 lintribus adverso flumine subvehuntur ad novum regnum Granatense.

In provincia *Vraba*, quæ hujus præfecturæ quoque pars est, olim à *Petro Heredia*, conditum fuerat oppidum *Sancti Sebastiani de buena vista*, sesqui leuc. ab Oceano, in colle modicè edito: ager illius multis arboribus vestitus, præsertim palmis, quæ grandes admodum palmitos ferunt, adeo ut duobus ferendis vix unus vir sufficiat, candidos, suaves & optimi nutrimenti. Solum persecundum, & variis generis annonâ, omnibusque ad vitam humanam necessariis abundans. Verum hoc oppidum desertum fuit, postquam opulentissimæ Peruviae provinciæ lustrari cœperunt.

Iter quod ab hoc oppido ad urbem *Antiochiam* ducere solebat, in hunc modum describit Petrus de Cieca; primum ab urbe secundum oræ ductum ad tenuem amniculum, quem *Rio Verde* appellant, leucæ sunt v; à quo ad urbem *Antiochiam* leucæ colliguntur octo supra quadraginta; ab amniculo quidem ad radices altissimorum *Abiba* montium planicies lata & pauci colles modicè editi pertinent, densæque silvæ & plures rivuli atque amnes; regio omnis pene deserta est, postquam indigenæ advenarum tædio, an odio, sese ad interiora atque avia receperunt; neque

neque hâc iter agentibus propter densitatem nemorum, alia via patet quâm secundum ripas fluviorum, neque fere aliis mensibus quâm Jan. Febr. Mart. Aprili, nam cæteris hic validè pluit & fluvii mirum in modum inflantur & non raro ripas suas egressi in vicinos agros restagnant. Hanc planitem emensis altissima *Abiba* montium juga transienda, de quibus antè egimus, quibus superatis in amoenissimam vallem & regionem campestrem descenditur, quam vocant *del Guaca*; Hanc continuo excipiunt valles *Nore*, in quibus *Antiochia* sita est, uti suo loco di-<sup>1.9. c. 10.</sup>cetur.

10

## C A P . X V I I .

*Flumina, portus, promontoria, omnisque ora Praefecture  
Cartaginensis.*

**I**NTER *Mopox* amplissimum flumen *Cauca*, quod supra oppidum *Popajam* effundit, in maximum *Magdalena* fluminis descendit alveum; paulo infra confluente, amoenissimus collis visitur quem Hispani vocant *Morro Hermoso*: qui à promontorio *de Agua*, *Cartaginem* petunt, in hunc modum cursum suum instituunt, ut prora ad Africum conversa, vespera sub hoc monte cursum suum sustineant & in anchoris consistant, post medium noctem, rursus vela explicant, & cursum dirigunt ad corum, ut insulam arenatum vitent, quæ *Zamba* ex adverso objacet, duabus à continenti leucis; hæc Insula, uti à nostratibus observatum; longa est milliaria duo & semis; pars quæ orientem adspicit modice edita est, habens aliquot colliculos; verum occidentalis pars admodum humilis & æquori pene æqualis; oram habens arenosam quæ jacet inter Aquilonem & Africum; ardet mare juxta cornu & exteriū insulæ latus. Montis autem illius Formosi signa sunt, solum nigricans modicè editum & in orbem convexum. Promontorium *Zamba* eminus intuentibus formam triremis cum malo suo & rudentibus exhibit; Sequitur deinceps ad eandem oram, terra elata & candidis præcipitiis spectabilis, quam vulgo *Buhio del Gato* appellant; & magis ad occidentem terræ cornu, *punta de la Canoa* vulgo, duabus ab oppido Cartagine leucis versus ortum: humili hîc est ora & æquori pene æqualis; atque hactenus ora ad occidentem pertinet. Excipit dein promontorium *Tacos*; è regione Insulæ *Carex*, de qua supra: & *punta de la Nao*, alterum continentis cornu, è regione ejusdem insulæ, versus occasum, juxta ostium minoris alvei, qui ad portum Cartaginem ducit: cui ad arctum in alto objicitur exigua insula *Sardina*. Porro littori provinciæ *Tolu* adjacent Insulæ *Baru*, quas *Herrera* quidem sex, nauticarum autem rērum periti tres aut ad summum quatuor constituunt, suntque humiles & arboribus vestitæ.

Ad exordium vero freti *Vrabe* jacent insulæ *S. Bernardi* è regione fluvii *Zenu*, quæ sex esse dicuntur; hæc assurgunt in editos colles habentque certos arenosos sinus, qua patentem oceanum spectant; duabus denique aut tribus, ab ipsis, leucis, altissimus hujus freti alveus se insinuat, quem Hispani vocant *Bacillam*.

Fluvius *Zenn* & amplior est & navigiorum patiens, cui provincia de qua supra egimus, nomen suum debet: Portus autem hujus provinciæ tutissimus est in amplissimo sinu qui ad occidentem patet; quinque & viginti leucas ab urbe Cartagine; hîc plurimum salis conficitur.

Insula porro, quam *Fortem* vocant Hispani, satis ampla est, & crebris montibus atque collibus tumens; à parte illius Septentrionali multi scopuli in altum descendunt ad leucas pene duas; inter insulam & continentem statio haud incommoda est in freto quindecim orgyas alto, fundo argilloso: multum salis hîc cogi tradit *Ovie*. 1.3. c. 8. *dus*; huic vicina est exigua & deserta insula *Tortuga*.

Licet flumen, (quod interdum ob magnitudinem alvei *Rio Grande*, non-numquam *Magdalene* dicitur, quod festo illius die æstuarium ipsius primum inventum fuerit & ab Hispanis aditum, & non raro *S. Marthæ*, quia juxta provinciam illam descendit;) oriatur supra *Popajanam*, ideoque in illius provinciæ descriptione *Popaja* plenius de illo simus dicturi, tamen obiter hic illius mentionem faciemus, quia *na.*

provincia de qua jam agimus, & præfectura *S. Marthæ*, de qua statim nobis dicendum, præcipuum emolumentum ex hoc flumine percipiunt. Id ad centum leucas intra continentem navicularum est patiens; omnesque merces Europeæ, partim remulco, partim funibus huc subducuntur, duorum utplurimum mensium spacio; idem omnis auri atque argenti gaza & Americanæ merces à novo Regno Granatensi, tribus plerumque septimanis descendunt. Ingenti ore in Oceanum se evolvit, viginti sex ab oppido Cartaginis leucis versus ortum, decem à *S. Marthæ* versus occasum, & duodecim gradibus ab Æquatore versus Arctum.

1.2. c.6.

*Acosta* testatur, fluminis hujus cursum decem leuc. ab ostio in alto mari, duarum leucarum latitudine deprehendi, nec sine periculo proprius adiri à navigantibus, ob vortices, & defluxus fluminis cum æstu marino certamen. Insulam habet in medio æstuario quinque leucas, (ut Hispani produnt) longam, latam dimidiadim; latissimus illius alveus ad præfecturam *S. Marthæ* vergit, quem plerique naves subire solent, unde non raro, ut supra monuimus, ab Hispanis *S. Marthæ* nomen huic flumini attribuitur.

Nostri qui satis prope ad flumen hoc accesserunt, uno ore testantur flumen hoc per tria ostia in mare exire; quorum unum *S. Marthæ* proximum partem continentis admodum humilem dissecet; reliqua ab insula illa dirimuntur: neque queruntur de discriminé aut undarum vorticibus; tantum annotant juxta hanc oram & maxime in æstuario hujus fluminis Aquilones post meridiem & noctu valide perflare, à quibus nonnihil periculi sit, quia ab altis & nivalibus montibus præcipitantur. Vehementer tonat, fulgurat atque pluit in hoc flumine, præsertim à media nocte ad auroram: à mense autem Octobri ad Aprilem alveus hujus fluminis mirum in modum intumescit, & devehit ingentes undas, ob pluviarum copiam, quæ in montanis *Popajana*, ubi oritur, illâ tempestate decidunt.

### S A N C T A M A R T H A.

#### C A P. XVIII.

##### Provincie *S. Marthæ* limites, cœli soleque qualitates.

**S**E QVITVR jam ad eandem Continentis oram versus orientem, provincia & præfectura *S. Marthæ*, quæ ab extremis præfecturæ Cartaginensis finibus, quibus ad occidentem clauditur, ad præfecturam fluminis *de la Hacha* versus orientem, in longitudinem pater leucas septuaginta; totidemque pene in latitudinem, ab Oceano nimirum ad fines Novi Regni Granatensis, quod illi à Meridie prætenditur.

Temperies hujus regionis quâ Oceanum Septentrionalem contingit est calida & fervens, in mediterraneis autem frigidior ob vicinitatem montium nivalium qui illi imminent, viginti circiter leucis à principali oppido; imprimis autem provincia *Tairona* ob soli altitudinem & crebros montes algere deprehenditur. Litoralium regionum æstum egregie temperant, orientales & aquilonares auræ, quas vulgo *brisas* vocant; plurimum autem hîc pluit mensibus Septemb. & Octobr. reliquis perparum, quia tum plerumque venti ob oriente & aquilone perflant, natura sua sicci & salubres; pluviis autem mensibus ut plurimum spirant venti qui è continenti assurgunt, quos veteres appellabant *Altanos* & Hispani hodie *Vendavales*.

Ab oppido *S. Marthæ* ad radices montium, tribus circiter leucis, terra est plana; montana autem petrosa sunt, infœcunda, neque pascuis apta neque frugibus, & arboribus pene nuda; multi torrentes & amniculi ab illis descendunt; in campis tribus denique gramen aduritur & sata corrumpuntur, cum orientales illi venti pertinacius perflant, quo fit ut incolæ sâpe hic annonæ penuriam patientur. Solum large producit aurantia & granatensia mala, limones & similes fructus, etiam vites; familiares & domesticas arbores *Guayavas Platanos* & similes abunde; omnes etiam herbas & plantas ex Hispania huc traductas benigne tolerat, imprimis melones

lones, pepones, cucumeresque. Magna hic gallinarum Hispaniensium, columbarum, perdicum & cuniculorum multitudo: etiam feras alit tellus, tigres, leones, ursos. Denique maizii & batatarum radicum perfœcundum est solum.

In provincia *Buritaca*, juxta viam quæ ab oppido *S. Marthæ* ad *Ramadam* dicit auri reperiuntur metalla; in *Tairona* quoque plurimæ gemmæ quantivis pretii, & inter eas quæ variis humani corporis morbis & affectionibus, occulta naturæ qualitate; mederi creduntur, præsertim nephritidi & sanguinis profluvio; etiam Jaspis & Porphyrius lapis, denique varia marmororum genera; atque auri venæ.

Ab oppido *S. Marthæ* circiter sesquileuc. plurimæ sunt salinæ, è quibus optimum salem cogunt, qui in vicinas provincias magno emolumento portatur.

Barbari harum provinciarum, corpore sunt agili & mediocri industria; sed ingenio pravo & arrogantia singulari; à Regulis suis reguntur; venenatas sagittas usurpant in præliis; & gossypinis palliis, quæ diversis coloribus sunt variegata, amiciuntur; magnus eorumdem numerus hodieque supereft, quibus cum Hispanis haud satis belle convenit, nonnulli & cum illis bellum gerunt, ita ut Hispani haec tenus ditissimæ provinciæ *Tairona* nondum compotes fieri potuerint, licet jam multa cum suorum strage sèpius illam subjugare tentaverint.

Mare quod hanc provinciam alluit, uti & flumina quæ illam permeant piscoa sunt admodum, optimoque varii generis nutriunt pisces.

20 Porro hac præfectura comprehenduntur hæ provinciæ particulares *Pozigueica*, *Tairona*, *Betonia*, *Tairona*, *Chimila*, *Buritaca*. Vallis *Tairona* amplissima est & ditissima; & sex aut septem leuc. distans ab oppido *S. Marthæ*, aut ut *Herrera* alibi testatur octodecim; sex ab Oceano Septentrionali: huic proxima jacet *Mongay* vallis, divitiis in eundem modum pollens.

*Buritaca* autem tredecim leuc. distata est ab oppido *S. Marthæ* versus *Ramadam*. *Buritaca*. *Bonda* vero provincia tribus leuc. & semisse; *Coto* denique vallis inter *Pozigueicam* ca. & idem oppidum media est.

De valle *Eupari* mox ad oppidum *de los Reyes* dicemus.

*Chimila* provinciæ indigenæ mares quidem viribus corporis & fortitudine bellicosa, fœminæ vero præstantia formæ commendantur.

In hac provincia altissima nivalium montium juga, quæ Hispani *las Sierras Nievadas* indigitant, suum sumunt exordium, & infinitas pene provincias atque adeo *Peruviam* & *Chilen* pervagata tandem desinunt ad fretum *Magallanicum*. Hæc juga pene à triginta leucis in alto ab adnavigantibus conspicuntur, jugi nive testa, & à subjecta hinc valle *Tairona*, plerumque à nautis *Tairona* juga appellantur. Ab his descendunt ex improviso validi venti, qui plurimum à navigantibus metuuntur; ita ut caute secundum has otas sit navigandum.

Denique hodie quinque, qua oppida, qua municipia in hac præfectura ab Hispanis incoluntur, de quibus suo ordine dicturi sumus.

40

## C A P . X I X .

### *Oppidum principale hujus præfecturæ S. Martha.*

**P**RINCIPALIS hujus præfecturæ civitas, à qua & nomen habet, appellatur *S. Martha*; decem ab Äquatore gradibus versus Arctum, ut *Herrera* testatur, aut undecim ut *P. Martyr*; vel decem gradibus & triginta scrupulis, ut non pauci observarunt: & septuaginta quatuor gradibus à Meridiano Toletano versus occidentem, ut volunt Hispani. Condita est loco persalubri ad oram Oceani Septentrionalis; habetque portum & amplum & tutum, ubi & anchoræ commode figi, & naves peropportunè in vado destitui possunt, ut reficiantur; patet dimidiæ leucam, & è regione urbis altum habet montem, à quo adversus incerta ventorum defenditur: modicè hinc altum est mare, nullisque scopolis aut vadis navigantibus insidiosum; denique hic aquandi & lignandi summa est opportunitas. Magna hic quondam oppidanorum frequentia fuit, nunc autem paucitas, postquam classes Hispaniæ hic appellere desierunt. Abest oppidum à *Salamanca*,

quam vocant *de la Ramada* leuc. viginti quatuor versus occidentem; à *Teneriffe* ad ripam magni fluminis Magdalenæ sitâ, quadraginta leuc. versus Septentriones. Præfctus provinciæ, aliique ministri regii hic domicilia habent; Cathedrale hic templum visitur, cuius Episcopus suffraganeus est Metropolitani Novi regni Granatensis. Mathematicus autem regius *Ioan. Bapt. Antonellus* scribit de hoc oppido ad Regem Hispan. anno c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> lxxxvii in hunc modum.

*Sancta Martha* principalis urbs provinciæ & Episcopatus, sita est decem gradibus & triginta scrupulis ab Äquatore versus Arctum; ad finum arenosum haud longe à mari; constat circiter triginta familiis, domus ex arundinibus compositæ & palmarum foliis tectæ, nonnullæ etiam tegulis, commercia habent cum indigenis illarum regionum, qui ollas aliaque ejusmodi vasæ ex argilla facta ad oppidum venalia adferunt, itemque pannos & vestes ex gossypio contextas: oppidani autem merces suas deferunt *Cartaginem*. Pecorum hic perparum, quia regio montensis est & Hispanis incolis infrequens. Portum habet optimum ab altis montibus & petris ad littus usque incinctum, à quibus uti & à duabus insulis quæ portui objacent ad Septentriones, egregie à ventis & marinis æstibus defenditur, quo fit ut licet hæc regio orientalium ventorum flatibus exposita sit & non raro tempestatibus, tamen hic sine ullo discrimine in anchoris stare, omniaque in terram exponere liceat. Intra portum locus est, quem *Calderam*, id est, lebetem vocant, ubi olim naves in siccum subducere & reficere consueverant. Porro hunc portum munire, nullum est operæ precium, quia raræ hic naves appellunt, & tam pauci oppidum incolunt, & quotidie magis ac magis aliò migrant, ob hostium crebras deprædationes. Nisi forte Regi placuerit, Classem quæ ab Hispaniis ad Novam Hispaniam navigat, hac iter habere atque hîc appellere, aquare & necessaria cætera comparare; & quod naucleri uno ore restantur, faventibus semper Etesis, rite posse fieri, hinc recta ad promontorium *S. Antonii* Insulæ *Cuba*; atque ita porro ad *Novæ Hispaniæ* portum cursum instituere; hoc siquidem pacto Classis illa multa & varia pericula evitaret & præsertim ingentes illos ventorum turbines, quos *Huricanes* vulgo vocant, qui illam sub australi Hispaniolæ littore nonnumquam obruunt, & cum maxima hominum clade & mercium jaætura aliquando subvertunt; & utraque classis conjunctim navigans, hæc quidem quæ Novam Hispaniam petit, hic subsistere; altera autem quæ ad Continentem, ut vocant, destinata est, rectâ *Cartaginem* posset petere. Si enim id fiat, tum portus hic muniendus esset in hunc modum: exiguum munimentum collocandum foret super montem qui ostio portus imminet, & aliquot tormenta imponenda: ad australem dein plagam turris struenda & munimentum paulo grandius moliendum & pluribus tormentis instruendum: nam hoc facto non modò naves hîc tuto in anchoris subsistere poterunt, sed & oppidani se ab hostium deprædationibus defendere. Omnia denique ad hæc opera necessaria, lapides, arena, cœmentum, ligna haud procul ab oppido commode haberri possunt. Hæc ille *Addamus* & recentissimam urbis faciem, prout illam ipse Præfctus anno c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> c<sup>xxvi</sup> Regi Hispaniarum depinxit.

Ora (inquit) Continentis hîc jacet inter ortum & occasum, quæ ab Arcto mari pulsatur, quod se hîc insinuat inter duo cornua, ad modum semilunæ; orientale cornu vocatur *Taganga*, occidentale *Lipar*; medio spacio objacet Insula scopolosa, vocant *el Morro*; quæ portum ab impetu fluctuum defendit. Cornu Orientale habet exiguum castellum quadratum, in quo tantum tres quatuorve excubitores noctu atque interdiu agunt, ut oppidanos de navium ex alto allabentium numero admonent. Oppidum situm est ad gremium Sinus, loco plano & æquori pene æquali; adiacet ad occasum arx quadrata, haud magna, quippe cuius latera tantum centum pedes Geometricos capiant; mutus circiter triginta palmos est altus; in quo quatuor ænea tormenta disposita; custoditur à præsidiariis septem aut octo: Exiguum sane munimen contra hostes, oppidani pauci & fere inopes, atque inter se discordes. Hæc facies tum erat oppidi & portus supra modum opportuni. Hoc oppidum sæpe à Gallis, Anglisque interceptum & direptum fuit; anno autem c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup> xc<sup>v</sup> à *Francisco Draco* incendiis misere deformatum; nec minus anno proximo ab *Antonio Sherleio* Anglo equite porro exhaustum. Sensit & calamitatem à Belgis nostris, anno c<sup>l</sup>o I<sup>o</sup>.

cllo I<sup>o</sup> cxxx, ab Archithalasso Societatis Indicæ Occidentalis *Adriano Iacobi Parre*, intercepta, sed exiguo lytro redemta.

## C A P . X X .

*Reliqua oppida præfecture hujus, Teneriffe, Villa de Palmas,  
Cuidad de los Reyes, Ocanna atque Ramada.*

**I**NTE R reliqua oppida hujus præfecturæ, primò numeratur *Teneriffe*, ad ripam fluminis *Magdalena* situm, quadraginta leucis ab oppido *S. Marthæ* versus Africum; à quo diffici & impeditissimo itinere per terram aditur, sed mari & adverso magno flumine *Magdalena* haud incommodè.

Secundo *Tamalameque*, Hispanis *Villa de las Palmas*, septuaginta & quinque leucis ab oppido *S. Marthæ* versus Meridiem, viginti à *Teneriffe* & duas à magno flumine *Magdalena*; octo gradibus ab Æquatore versus Arctum; in regione præfervida, quia longe maxima anni parte hic australes venti spirant & nonnunquam graves atque inamœni favonii; solo licet petreo atque edito, plano tamen magna sui parte, & pascuis lato, ideoque armentis summopere opportuno; densis item sylvis opaco, præsertim ad ripam fluminis, cuius inundationes in regione campestri multa uliginosa stagna & multas paludes efficiunt, ad quarum margines indigenæ tuguria sua habent, & uniligneis suis lintribus easdem permeant & magnam optimorum pisium capiunt copiam, quibus ut plurimum visitant; quamplurimi enim hīc sunt *Manati* & non pauci *Crocodili*. Cæterum solum infœcundius est, licet hīc aurantia mala tam suavia quam acida abunde crescant, nec non domesticæ hisce regionibus *Guaiava*. Indigenæ hujus regionis ingenio sunt stupido, tardoque & somno maxime dediti, cui fere semper indulgent nisi cum commensationibus aut symposiis occupantur, quibus supra modum capiuntur.

Tertio *Cuidad de los Reyes*, in valle *Eupari*, quinquaginta leuc. ab oppido *S. Marthæ* versus Eurum, triginta ab oppido *de la Hacha*: centum & octuaginta à Metropoli novi regni Granatensis; ad ripam vasti & rapidi fluminis *Guataporí*: ager hujus oppidi & regio vicina, haud admodum calida est, quia æstate, quæ illis in menses Dec. Jan. Febr. Martium & April. incidit, venti ab oriente perpetuo flantes æstum eventilant; hybernis autem mensibus, quibus plurimum hic pluit, ob propinquitatem montium qui fere frigidi sunt, multum catharris & febribus laboratur, maxime quartanis: montes ab arcto ad austrum totam regionem dividunt, à quibus utrumque amnes & torrentes præcipitant: Solum non modo pascuis latum sed & frugum fœcundum: tota hæc provincia indigenis frequentissima est, qui nullis mediis se ad obsequium ab Hispanis cogi patiuntur; bellicosi enim sunt & ferocissimi, pertinaci ingenio, & ad omnia vitia proclivi; oppidi autem hujus incolæ adeo pauci ut neutiquam tantæ multitudini pares sint. Plutes hic sylvestres arbores uti & quæ fructus ferunt, *Platani*, *Guayavæ* & similes; longe autem plurimæ *Xaguæ*, quarum fructus fabis similes sunt, in siliqua autem aliis fructus delitescit forma orbiculari, sapore uvarum passarum: siliquas tantisper servant donec siccentur, deinde eas comminuant & è farina coquunt panem, optimi ut ferunt nutrimenti. Nec Hispanenses fructus aut plantæ hic desiderantur, nec gossypium quo barbari in vestibus utuntur. Ubi autem ab anguibus aut aliis venenatis animantibusicti fuerint, radicem *Scorzonera* (quam herbam, illiusque facultates prolixe descripsit Nicolaus Monardus speciali commentario de Lapide Bezae & Herba Scorzonera) crudam devorant & frondes illius vulneri imponunt, præsenti remedio, quod & Hispani jam imitati cæperunt; barbari quoque si anguem aut serpentem à quo læsi fuerint, nanciscantur, caput illius & caudam, cruda devorant, idque pro præsentissimo antidoto commendant. Adversus catharros & capitis dolores plurimum utuntur *Tabacco*, idque in minutissimum pulverem contritum attrahunt in nares; quin & succum viridis *Tabacci* hauriunt ad alvum subducendam.

In montibus multa sunt metallæ tum æris, tum plumbi & haud dubio etiam argenti, si in dico fides sit, verum nulla eorum ab Hispanis excoluntur, ob eorum qui hīc

hic incolunt paucitatem & inopiam : sed oppidani ut plurimum armentis pascendis dant operam, aut equis alendis , qui hic optimi ; Sacchari denique cannas benigne aleret solum, modò labor & industria colonorum accederet.

Quartò *Ocanna*, quæ & alio nomine *Sancta Anna* appellatur, oppidulum ad mediterraneam stationem navium , in finibus provinciæ *Tamalameque*.

Quintò *Ramada*, quæ & nova *Salamanca* primo dicta fuit, quadraginta leucis ab oppido *S. Martha* versus orientem, octo autem ab oppido & flumine *de la Hacha*, ad radices montium nivalium, & limitem vallis *Eupari*, quæ æris venis non minus scatet quam saxis, ut *Herrera* loquitur.

10

## C A P. XXII.

*Flumina , promontoria , portus & ora omnis hujus  
præfecturæ.*

Buhia fl. **A**D oram maritimam hujus præfecturæ primo in mare sese exonerat fluvius *Buhia*, non longe à *Ramada* ; deinde fluvius *Piras*; tertio flumen *Palomini*, quod de montibus nivalibus se præcipitat & celeri cursu mare petit, & copia atque frequentia pluviarum quæ in montibus cadunt, interdum supra modum inflatur; nomen suum accepit à Tribuno militum qui flumen hoc equo superare aggressus, ab undis ejus absorptus interiit.

Sequitur deinceps fluv. *Didaci*, vulgo *de Don Diego*, & modico intervallo variis recessus, quos *Ancones de Buritaca* vocant; nautici homines in itinerariis suis observant, ex alto appellantibus ad hunc locum, eminus conspici littus arenosum candicans, quale nullum toto hoc littorum tractu cernitur ; id ad occidentalem plagam horum recessuum & stationis navium jacet : hinc provectis promontorium *de Aguja* occurrit, duodecim ab æquatore gradibus versus arctum, ut à nauticarum rerum peritissimis est observatum.

Hæc plaga crebris tempestatibus & ventorum turbinibus obnoxia est, ob continentis altitudinem, nam & ipsum promontorium in editos & abruptos colles assurgit, & supra ipsum *Bonda* juga vasta se attollunt. Sub promontorii latere quod *Corum* adspicit exigua insula adjacet, petrâ candidâ spectabilis. Promontorio hoc superato, littus ad Africum se subducit, & unâ circiter ab ipso leucâ specula faxo imposita cernitur, & ultra insula exigua , inter quam & continentem alveus ad portum *S. Martha* dicit.

A portu autem *S. Martha* ad occidentem littus legentibus, primo obvius est fluvius *Gayra*, quem *Petrus Martyr* amplum & majorum navigiorum patientem esse scripsit; descendit autem ab altissimo monte, qui multa perpetuò nive candicans cernitur ; aquas illius potari pulchras negant barbari ; sed haud longe hinc alter fluvius exit, cuius nomen non proditur , potari pulcherrimus.

40

Guata-  
pori, fl. Intra continentem autem hæc flumina memorantur ; *Guataporí* (ad cuius ripam oppidum *de los Reyes* conditum esse supra diximus) è nivalibus montibus descendens, unde aquæ illius ita algent, ut haustæ catharros & lienterias provocent : lienteria autem obviam itur, canellæ quadam specie in pulverem redacta & ex aqua pota, quæ tam potenter alvi profluviū sistit, ut etiam Sanguinolentis dejectionibus medeatur. Arborem hanc *Carrapam* vocant barbari, quæ vox ipsorum idiomate amarum sonat, talis enim est ligni illius sapor. *Guataporí* autem descendit in flumen *Cesar*, circiter leucam infra dictum oppidum.

Cesar, fl. *Cesar* vero ad Austrum labitur & ab accolis appellatur *Pompatao*, quasi dicas principem omnium fluviorū (id enim vox illa barbaris sonat) plurimos quippe amnes undiquaq; recipit & secum deducit ; imprimis autem unum satis amplum, quem vulgo *Badillo* nominant, qui è tribus lacubus prodire dicitur; aquæ hujus fluminis dilute virent, indigenæ lingua sua *Socuigua* vocant, id est copiosum, propter piscium multitudinem, qui in ipso capiuntur, radice quadam injecta, qua pisces veluti soporantur: deinde & alterum, quem vulgo vocant *de las Ayumas*: quibus amnibus auctus per campestria septuaginta leucarum spatio versus occidentem labitur & denique in magnum

gnum Magdalena descendit alveum : Regio autem quæ utrique hujus fluminis ripæ prætenditur , fertilis est & non inamœna.

Viginti circiter leuc. ab oppido *de los Reyes* tres grandes putei visuntur , inter certas petras, in triangulo siti, in quibus barbari immensæ molis serpentem habitare ferunt , qui plurimos mortales neci dederit : Hispani saepius eundem studiose indagarent, & licet vestigia quædam deprehenderint, ipsum tamen nunquam potuerunt conspicere : Indigenæ tamen tam firmiter credunt illum hic latere, ut præ metu illius, proprius accedere, aut in vicinia habitare reformident. Sunt & alii in hisce locis putei, qui bituminis quoddam genus eructant, adeo tenax & glutinosum, ut etiam 10 grandiores aves ei adhærescant, eoque teneantur : barbari retia sua, quibus pisces capiunt, eo bitumine illinere consueverunt .

## R I O D E L A H A C H A .

## C A P . XXII.

*Oppidum & Praefectura quam Hispani vocant Rio de la Hacha.*

**O**PPIDUM quod hodie *Rio de la Hacha* dicitur, olim autem ab Hispanis *Nostra Sennora de las Nieves* & postea *de los Remedios* appellabatur ; situm est ad Oceanum Septentrionalem, triginta leucis ab oppido *S. Marthæ* versus ortum & sexaginta ab oppido *Coro* versus occulum ; quasi medium inter praefecturas *S. Marthæ* & *Venezuelæ*; denique à promontorio *de la Vela* versus Meridiem: conditum est super colliculum, circiter mille passus ab Oceano ; portus illius plane apertus est & adversus aquilones indefensus. A promontorio *de la Vela* ad hoc oppidum octodecim numerantur leucæ, solo plano atque humili, nullis axis aspero, nullis torrentibus riguo : Ager illius haud ultra octo leucas intra continentem extenditur ; fertilis & omnium fructuum Hispaniensium egregiè ferax ; auri venis abundans, & gemmis variis pretiis atque virtutis; necnon optimis salinis scatens. Plurimæ hic feræ & praesertim tigres atque ursi ; in amnibus autem magna crocodilorum copia. In oppido sunt domicilia circiter centum : olim divitiis affluebat, dum hic & in vicinia magna unionum vis inveniretur .

Qui postremam *Francisci Draci* expeditionem in commentarios retulit, de illo ita scribit: *Rio de la Hacha* viginti leucis à promontorio *de la Vela* versus occidentem, oppidum est exiguum, sed ager illius fœcundus & peramœnus. Nostri illud intercepserunt sub medianam noctem ; una circiter leuca ab oppido versus ortum, dorsum maris & brevia objacent, à quibus navigantes dimidiā leucam abstinere necesse est antequam ad portum accendant: haud procul ab oppido ad orientem amniculus descendit, ore ab arenoso puluillo pene obstipato, ita ut celocibus illud ingredi 40 perdifficile sit, sed ingressis sex aut octo leucis intra continentem liceret ascendere.

Sex quidem ab oppido leucis versus solis exortum pagus habitatur, vulgo *la Rancheria*, eorum sedes qui margaritiferis conchis capiendis dant operam; quinque autem secundum oræ ductum versus occidentem, quatuorque ab ipso littore pagus *Tapia* jacet, & prædia aliquot rustica Hispanorum; & ultra hunc tertius pagus quem vulgo vocant *Salamcam*; (forte *Salamancam*) quam suprà *Ramadam* appellavimus. Præfectorus hujus oppidi viginti quatuor millia ducatorum promiserat, ut oppidum ab incendio & excidio redimeret, verum cum pretium illud in unionibus præstare vellet, quarum valorem supra modum augebat, nec Anglis hoc pacto satisfaceret ; illi irati, non modo oppidum, sed & pagos supradictos, incendiis plane deformarunt, 50 aliisque discesserunt. Unionum vero piscatu jam penitus aut saltem maximam partem (nam pauculas quasdam nonnunquam à barbaris colligi accepimus) deficiente, & oppidanorum frequentiam & opes jam multum imminutas esse nullum est dubium; Saltem hodie locus obscurior est.

Antequam descriptioni hujus partis Continentis, quam vulgo *Terram Firmam* vocant Hispani, finem imponamus, operæ precium videmur facturi, si paucis hic adjungamus, quo pacto ex Hispaniis ad has partes quotannis navigetur. Solvunt Hispani è portu

portu *S. Lucar* sive è sinu Gaditano, mense Aprili, cum valida classe, quæ ut plurimum constat vastis & bene armatis regiis navibus, quas vulgo vocant Galeones, nunc sex, nunc octo, interdum & pluribus, rarissime autem paucioribus, & pluribus navibus mercatorum, & quibusdam celocibus. Hæc classis ita cursum suum instituit, ut primo adeat Insulas Canarias, è quibus non raro & varias merces & præsertim vina in naves suas accipiunt, & dolia sua replent aqua potabili: Deinde à promontorio de *Naga* proiecti, navigant in conspectum oræ Africanæ, potissimum autem promontorii *Cantin*; atque inde cursum suum dirigunt ad insulas Indiæ occidentalis quæ vulgo Caribes sive Canibales nominantur; adeuntque nunc *Dominicam*, nunc *Matinino*, nunc *Guadalupen*, interdum singulas hasce; ibidemque & aquandi & lignandi gratia<sup>10</sup> hærent pauculos dies: quæ navigatio ab ora Africæ, ad hasce insulas, nunc quindecim, nunc pluribus, raro paucioribus diebus absolvitur: Indigenæ quidem Matinino minus abhorrent ab Hispanis; reliqui ipsi sunt infensores: Hic sues & gallinæ magna reperiunt copia, & variii fructus, quos vilissimo precio à barbaris redimunt, puta una securi quatuor nonnunquam sues & sex gallinas & ita porro. Hic solent naves visitari, & vectorum numerus recenseri ab officiariis, quos vocant *Contadores Contratactionis*, secundum indices Iudicis Indiarum, qui in oppido Hispalensi residet. Hinc solventes recta petunt Continentem, solentque ut plurimum illam adnavigare juxta juga nivalia, haud longe à *S. Martha* atque inde orarum ductum sequi, usque ad promontorium sive cornu *de la Canoa* & ita intrare portum *Cartagenæ*: In hoc portu morantur<sup>20</sup> ut plurimum dies octo, exponuntque merces varias, & accipiunt denuo; dein petunt Portum Belum, ubi tantisper hærent, donec gazam regiam, & mercatorum acceptent in naves; atque inde repetunt portum *Cartagenæ*; in eoq; rursus stant in anchoris ad dies quatuordecim aut circiter, & commerciis absolutis, oneribusq; acceptis, recta petunt Havanam, à qua denique redeunt in Hispaniam, sub initium Septembres, aut interdum tardius, quod tamen non vacat discrimine, quia post Calendas Septembres validi venti hic perflant ab Arcto; & ingentes tempestates offenduntur juxta Bermudas, quas studiose vitant.

## DESCRIPTIO

